DE TARTARO STIBIATO.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILELMA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE IMPETRANDIS
DIE XXII. MENS. DECEMBR. MDCCCXXXII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENSURUS EST
AUCTOR

CAROL. HENR. FRID. GUIL. SCHUELER
POMERANUS.

OPPONENTIBUS:
C. GUSSEROW, MED. ET CHIR. DR.
A. COHNFELD, MED. ET CHIR. DR.
P. JABLONSKI, MED. ET CHIR. DR.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

PATRI

OPTIMO DILECTISSIMO

HAS

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

CONSECRAT

FILIUS.

PRAEFATIO.

Medici celeberrimi nostri aevi Tartaro stibiato inter remedia usitatissima atque praestantissima insignem adsignaverunt locum, quem summo jure sibi vindicat, non solum propter efficaciam eximiam, sed etiam propter latissime patentem, quem praebet in diversissimis morbis, usum. A tempore inde Hadriani a Mynsicht, primi inventoris, usque ad nostrum aevum, medici partim periculis institutis, partim majori chemiae notitia ducti, rectius de natura atque viribus hujus remedii judicarunt ejusque usum non modo ad novas medendi methodos accommodarunt, sed etiam super multos extenderunt morbos, in quibus a majoribus non solebat adhiberi. Praecipue mos atque methodus perfectior, Tartarum stibiatum externe adhibendi, cujus priores vel plane vel maximam saltem partem erant ignari, summo jure novissimi saeculi medicis adscribi debet. Neque minus paratio hujus medicaminis nostro tempore longe alia est, ac primo ab inventore eumque secutis commendaretur medicis, cum egregia chemiae

incrementa, quemadmodum alia medicamenta, ita Tartarum stibiatum parandi novas, easque commodiores atque certiores pharmacopolis aperuerint vias. Hoc tanto majoris momenti esse patet, quanto nobilius remedium nobis praebeat Tartarus stibiatus.

Cum diu mecum reputassem, quanam de re dissererem, et quum animum oculosque tandem advertissem ad Tartarum stibiatum, minime me fugerunt difficultates, tale conamen inhibentes, quippe quae primo obtuitu fere inexpugnabiles viribus juvenilibus viderentur. Nihilosecius hanc materiam adgredi ausus sum, sperans fore, ut lector benevolus, impedimentorum et difficultatum talis laboris haud immemor, per virium juvenilium imbecillitatem excuset, si quid hoc in opusculo minus apte propositum ipsi videatur. Ad eligendum hocce thema inprimis illud me compulit, quod synopsin brevem variarum Tartarum stibiatum parandi atque adhibendi methodorum, nec non comparationem novorum praecipuorum, quae medici experientissimi nuperrime hac de re dixerunt atque scripserunt, haud plane inutilem fore credidi, quippe singula per tot libros sunt dispersa, ut communis omnium conspectus non detur tironi. Hunc tantum pro viribus elaborare studui, specialia autem omisi, ne dissertatiunculae fines justo longius extenderem.

Paucis tantum verbis innuam, quo ordine tractaturus sim materiam. Primum nonnulla apponam historica; tum varia Tartari stibiati afferam nomina. Exsequar porro methodos varias, Tartarum stibiatum parandi, secundum praeparata Antimonia-

lia, quibus hunc in finem usi sunt chemici, ordinatas; his nonnulla de parationis processu subjungam. Deinde Tartarum stibiatum describam, nec non chemicam ejus indolem, diversasque in medium proferam chemicorum de ejus compositione opiniones, quibus exhibitis, de recentissimis atque praestantissimis rationibus, inquinamenta in eo obvia inveniendi, ejusque in variis liquoribus praesentiam detegendi, sermonem faciam. Oblatis dein pluribus Tartari stibiati praeparatis, gradum faciam ad effectus, quos exserit medicamentum nostrum, tam interne quam externe variis adhibitum formis. Denique, facta mentione connubiorum Tartari stibiati cum aliis remediis, de ejus interno et externo variis in morbis usu disputabo.

Superest, ut libros nonnullos de Tartaro stibiato agentes enumerem, quorum nomina tantum mihi innotuerunt.

W. Saunder, *Diss. de Antimonio. Edinb.* 1765.

W. Saunder, *Observationes de Antimonio ejusque usu in morbis curandis. London* 1763 *übers. Bemerkungen über das Spiefsglanz etc. Altenburg* 1775.

Jacquet, *Histoire abregée de l'antimoine et particulièrement de sa préparation et des cures surprenantes, qu'il opère. Paris* 1767 *u.* 89.

Charles, *Observations on antimonial preparations with a description of a new antimonial powder of peculier efficacy in fevers and inflammatory distempers. Lond.* 1785. 8.

W. Balfour, *Observations on the sedative and febrifuge powders of emetic tartar. Lond.* 1818. 8.

L. Toffoli, *Diss. sopra i Tartari emetici.* Bassano 1818. 8.

De Lespinasse, *Diss. de Tartari emetici usu externo. Traj. ad Rhenum* 1824. 8.

Fages *Memoire sur l'efficacité du tartrite antimonié de potasse (tartare emetique) combiné aux extraits de douce amère et de rhus radicans dans le traitement des dartres.* Sedillot *Rec. period. de la soc. de santé de Paris T. VI, p.* 161.

Arnal *Observations pratiques sur l'emploi du tartrite antimonié de potasse dans les fiévres intermittentes. Annales de la Soc. de Med. de Montpellier. T. XX. pag.* 17.

Georgius Hannaeus *Tartari emetici abusus. Misc. Acad. Nat. Curios. Dec. II. A. b.* 1787. *p.* 288.

Ch. F. Witting *Diss. inaug. de Tartari emetici praeparatis et viribus med. Götting.* 1788. 4.

J. Sterz *de Tartaro emetico. Wien* 1815. 8.

Benedictus Herrmann *de Tartari emetici virtute et effectu inaequali. Misc. Acad. Nat. Cur. Dec. II. A.* 1684. *p.* 157.

Historica.

§. 1.

Tartarum stibiatum primus detexit atque descripsit Hadrianus a Mynsicht, archiater ducis Megalopolitani Suerinensis, anno 1631, eumque pro remedio adhibuit. Inveniendi occasionem haud dubie praebuit commentatio de pulvere sic dicto Warwickiano, e Scammoneo, Antimonio sulphurato et Cremore Tartari composito, quo utebantur emetico *a*). Mynsicht hoc remedium suum contra varios nervorum morbos chronicos, hydropicos, febres intermittentes, multosque alios morbos in usum vocavit *b*). Imprimis vero propter effectum certum in provocanda emesi mox omnibus aliis Antimonii praeparatis, quae ad eundem scopum exhibebantur, Sulphuri aurato stibiato, Hepati Antimonii, Vitro Antimonii et Regulo, praeferebatur. Jam tunc temporis medicamen-

---

a) Buchholz, Theorie u. Praxis d. pharmac. chem. Operationen. Ed. 2. Vol. II. p. 175.

b) H. ab Mynsicht Medic. Schatz- u. Rüstkammer. Offenbach 1695. p. 21.

tum habitum est, tunicas mucosas ventriculi et intestinorum, pulmonesque excitans, ad resorptionem augendam plurimum valens. Rationes Tartarum stibiatum parandi diversissimae ab auctoribus commendatae, multaque de iis experimenta instituta sunt, quorum eventus magis minusve incertus nemini satisfacere potuit. Geoffroy primus anno 1734 commonstravit, effectus inaequales et incertos, quos varia praebebant praeparata, a diversa Antimonii quantitate, singulis insita, esse repetendos, cum modo inspissando, modo crystallisando, modo cum una, modo cum duabus, tribus, quatuor partibus Cremoris Tartari ad unam Antimonii oxydulati partem pararentur, ita ut uncia diversorum praeparatorum grana 50 ad gr. 130 Antimonii haberet *c*). Recentioris demum temporis erat, novas easque meliores invenire methodos, de quibus praecipue Macquer, Bergman, Hoepfner, Lucae, Wiegleb, Westrumb, Bucholz, Geiger, Soubeiran, Henry et alii bene meruerunt. Compositionem vero Rouelle, Bergman, Thenard, Drapier, Göbel et Wallquist egregiis experimentis illustrarunt.

Distinxerunt antea Tartarum stibiatum crystallisatum ab eo, qui inspissatione parabatur, quorum hic recentiore tempore e medicaminum ordine optimo jure plane est relegatus.

---

c) Memoires de l'Academie de Sciences à Paris. 1734. p. 573; v. Crells N. chem. Archiv IV. p. 117; Wieglebs Gesch. der Chem. Vol. I. p. 204.

§. 2.

Quod ad usum medicum Tartari stibiati pertinet, imprimis Virorum Cl. Rasori et Pechier mentionem faciam, necesse est, quippe qui magnas ejus doses contra affectiones inflammatorias pectoris collaudaverint. Externe Tartarus stib. forma lotionum, unguentorum, emplastrorum, enematum et infusionum, recentiore praecipue tempore, ut jam supra dixi, administratur. Unguentum Cl. Autenrieth, Emplastrum Niemann, lotiones Hutchinson, Sherwin et Lettsom, Infusionem Köhler primi commendarunt. Uberiora aptius cum singulis eum adhibendi methodis enarrabuntur.

Varia Tartari stibiati nomina.

§. 3.

Remedium nostrum permultis insignitur nominibus, quae aut a chemicis ejus partibus constituentibus, aut a virtutibus sunt desumta. Ab indole chemica petita sunt:

Latina: Tartarus stibiatus, Kali stibioso-tartaricum, Tartras kalico-stibicus, Tartarus antimonialis, Tartarus antimoniatus, Tartras oxyduli Antimonii et Kalii, Antimonium tartarisatum Bergmanni, Acidum Tartari Alkali vegetabili et Regulo Antimonii saturatum, Stibium tartaricum kalisatum, Kali tartaricum stibiatum, Tartris Lixiviae stibiatus.

Germanica: Weinsteinsaures Antimonoxydul-Kali, Spiefsglanzweinstein, Antimonialweinstein.

Ab emetica ejus virtute dempromta sunt:

Latinum: Tartarus emeticus.

Germanica: Brechweinstein, Brechweinsalz, Brechsalz.

Variae Tartarum stibiatum parandi methodi.

§. 4.

Omnes Tartarum stibiatum parandi eatenus consentiunt methodi, ut Antimonii Oxydum hunc in finem adhiberi jubeant. Maxime autem discrepant de eligendis Antimonii praeparatis, Oxydum continentibus. Generatim duae principes discerni queunt, quarum altera praeparata antimonialia, oxydum continentia, cum aliis conjunctum substantiis, desumi suadet, altera vero ex illis antea Oxydum eliminari, ejusque ope Tartarum stibiatum parari jubet. Aptissimum mihi visum est, singula Antimonii praeparata, quinam iis, et quibus proportionibus, usi sint chemici, perinde ac principes enumerare parandi rationes.

A. Methodi Tartarum stibiatum e praeparatis antimonialibus, Oxydum cum aliis substantiis junctum continentibus, parandi.

§. 5.

E Croco Metallorum (Stibio oxydato-sulphurato fusco). Hadrianus ab Mynsicht, primus inventor, ℥ji Croci Metallorum, eandemque Acidi tartarici (Tartari depurati, quem tunc temporis Acidum tartaricum putabant) quantitatem cum libr.

ij Aquae benedictae Serpylli Mynsichtii *d*) per aliquot dies digeri, dein ex humore decantatò Tartarum stibiatum crystallisando parari jussit *e*). Eandem Croci Metallorum et Cremoris Tartari proportionem, sicut crystallisationem, additis nonnullis mutationibus minoris momenti, praescripserunt Ludovici 1661, Pharmacopoea augustana renovata 1684, Dispensatorii brandenburgici Editores 1698, 1715 et 1758, Pharmacopoea Ultrajectina 1749, Pharmacopoea Wittenbergensis 1750, Valentinus Kräutermann *f*) 1729, Stabel 1728, Burghardt *g*), Pharmacopoea Londinensis 1758, Pharmacopoea borussica 1799, Fischer *h*), Van Mons *i*), Hermbstädt *k*).

Easdem Croci Metallorum et Cremoris Tartari proportiones, sed inspissationem, Louis Esteva *l*) commendavit, quem secuti sunt Pörner, Dispensatorium Brunsvicense 1777 *m*), Pharmacopoea danica 1786.

---

d) De Compositione ejus cf. R. Brandes Repert. f. d. Chemie. Hannover 1828. Vol. II. p. 237.

e) Armamentarium med. chym. Hamburg 1631; Uebers. Med. Schatz- und Rüstkammer. Offenbach a. M. 1695. p. 20.

f) Curieuser und wohlerfahrner Chemist. 1729. p. 252.

g) Destillirkunst. I. T. 1797. p. 264.

h) Handbuch d. pharmac. Praxis. 1801. p. 540.

i) Apothekerbuch, übers. v. Trommsdorff. 1801. p. 213.

k) Systematischer Grundriſs der Experimentalchemie. T. III. 1802.

l) Quaestiones chem. T. XII. Monspelii 1759.

m) Chr. Fr. Buch, de Tartari emetici praestantia. Er-

Partem Croci 1, Cremoris Tartari 3, Pharmacopoea Leovardiana *n*) praescripsit.

Partem 1 Croci, 2 Cremoris Tartari, Pharmacopoea Bruxellensis 1702, nec non Pharmacopoea Edinburgensis 1756 imperabant.

Partem ½ Croci Metallorum, ½ Vitri Antimonii, 2 Cremoris Tartari, nec non inspissationem, Pharmacopoea Parisiensis 1732 praecepit.

Partem 1 Croci, 4 Cremoris Tartari, Pharmacopoeae Eoinburgensis commendant editiones vetustiores.

Partes 3 Croci, 2 Cremoris Tartari, imperavit Pharmacopea Edinburgensis 1774 *n*). Croci Metallorum loco ut Vitrum Antimonii desumeretur, permisit.

Partes 1½ Croci, 2 Cremoris Tartari laudavit Pharmacopoea Collegii regii medici. Londini 1788.

§. 6.

Ex Hepate Antimonii (Kali sulphurato-stibiato). N. Lemery, qui primus illud elegit praeparatum Antimonii, ad Tartarum stibiatum conficiendum, partes 1 Hepatis Antimonii, 4 Cremoris Tartari, cum partibus 12 aquae coqui, dein filtrari, crystalli-

---

langen 1777; Cf. Oltermann, Dissertatio de Tartaro, Göttingen 1777.

n) Pharmac. Edinb. additament. adj. Godofr. Baldinger 1784.

sationi submitti, lixiviarumque exsiccari jussit residuum *o*). Idem Montispelii praescriptum est *p*).

§. 7.

E Vitro Antimonii (Stibio oxydato-sulphurato vitrificato). Valentinus Kräutermann *q*) aequales Vitri Antimonii et Cremoris Tartari portiones cum aqua miscuit, per dies aliquot digerendas seposuit, tum partibus 8 aquae coxit atque redegit in crystallos. Summatim eandem methodum, cum paucis tantum modificationibus, secuti sunt Stabel 1727, Burghardt *r*), Caille *s*), qui propter Pulveris Algarothi caritatem, quamvis hunc longe aptissimum ad parandum Tartarum stibiatum putaret, Vitrum Antimonii praeferendum censuit, Fourcroy *t*).

Trommsdorff *u*) etiam et Lucae *v*) hanc am-

---

o) Cours de Chim. Paris 1675; Dresden 1718. Abth. II. p. 164.

p) Leçons de Chym. 1750; Chem. Lehrsätze der botan. Schule zu Montpellier. 1755. p. 190.

q) Curieuser und wohlerfahrner Chemist. 1729. p. 252.

r) Destillirkunst. I. Th. 2. 1797. p. 264.

s) Hist. et Mem. de la soc. royale de médecine à Paris. 1779; v. Crells chem. Annal. 1786. I. p. 75 et 166.

t) Elements d'hist. natur. et de Chym.

u) Lehrbuch d. pharmac. Experimentalchem. Altona 1796.

v) Berlin. Jahrb. 1798. XV. St. p. 116; Scherers Allg. Journal VI. p. 661; Göttlings Taschenbuch. 1799. p. 186; 1802. p. 79.

plexi sunt methodum, sed crystallisationi inspissationem anteposuerunt.

Partibus Vitri Antimonii 1, Cremoris Tartari 2, W. Saunder usus est ad praeparandum Tartarum stibiatum, simulque inspissationem suasit *w*). Secuti sunt Göttling *x*), Hoepfner *y*), Mönch *z*), Hagen *a*), Wiegleb *b*), Hermbstädt *c*), Löseke *d*), de Szüts *e*), qui paulatim Vitrum Antimonii addi jubet.

Dollfuſs et Pharmacopoea Bremensis idem, sed inspissationis loco crystallisationem, praescripserunt.

---

w) Observationes de Antimonio ejusque usu in morbis curandis. London 1768 übersetzt: Bemerkungen über d. Spieſsglanz etc. Altenburg 1775; Lemgoer Biblioth. IX. p. 842; Göttlings Taschenb. 1786. p. 592.

x) Taschenb. 1780. p. 95; 1782. p. 177.

y) Abhandl. über d. Brechweinstein. Weimar 1782; Göttlings Taschenb. 1783. p. 61; Crell's N. Entdeck. in d. Chemie.

z) v. Crell's Journ. II. p. 73.

a) Lehrb. der Apothekerk. 1786. p. 704.

b) Handb. d. Chemie. 1786. Vol. II. p. 261.

c) Bibliothek d. neuesten phys., chem., techn. und pharmac. Litteratur. Vol. I. 1787. p. 180.

d) Mat. med. 1785. p. 88; Pharmacop. paup. in usum clinici. Hamburg 1785.

e) Trommsdorff Journ. VIII. St. 2. p. 56.

Bucholz *f*) anno 1801 partes 3 Vitri Antimonii, 4 Cremoris Tartari cum aqua misceri, ad pultem formandam, deinde per plures dies digeri, tum coqui cum aqua per aliquot horae minuta, demum evaporari et crystallos collectas denuo ad crystallisationem adigi jussit, ut Calcarea tartarica, Oxydum ferri, nec non Tartarus haud plane saturatus secernantur. Idem commonstravit, si minorem Vitri quantitatem sumas, simul Tartarum purum crystallisare.

Drapier *g*), inaequalem Tartari stibiati compositionem in majore vel minore Cremoris Tartari puritate ponendam esse, ratus, hujus in locum substitui suasit partes 100 Acidi tartarici, 50 Kali caustici, vel 64 Kali carbonici, quas cum partibus 150 Vitri Antimonii et aqua per horam coxit, filtravit atque evaporardas curavit.

Pharmacopoea Parisiensis partes 125 Vitri, 185 Cremoris Tartari, 1500 aquae praescribit.

Sennebier *h*) et Bosse *i*) loco Tartari stibiati purum Antimonium oxydulatum tartaricum, e Vitro Antimonii et Acido tartarico paratum, in usum vocari jusserunt.

---

f) Trommsdorff Journ. IX. St. 2. p. 25; Beiträge zur Einleitung und Berichtigung der Chemie. Heft III. p. 147.

g) Annales generales des sciences physiques. 1819. II.; Schweiggers Journal. XXX. p. 412.

h) v. Crell's chem. Annalen. 1786. I. p. 160.

i) Trommsdorff Journ. IX. St. 2. p. 98; Scherers Allg. Journ. d. Chemie. IX. p. 81.

§. 8.

E Pulvere Algarothi (Stibio oxydato submuriatico). Macquer *k*) primus hoc praeparatum ob inaequalem compositionem Croci Metallorum, Vitri, aliorumque, quibus utebantur chemici, Antimonialium, ad tartarum stibiatum parandum 1766 commendavit, quod Bergman anno 1553, instituto magno experimentorum de paratione nostri remedii numero, haud minus optimum agnovit, Tartarique depurati ℥v, Pulveris Algarothi ʒij desumi et crystallisationem fieri jussit *l*). Methodum ejus recepit Pharmacopoea Suecica 1776, postea tamen repudiavit. Item Lassone *m*), Durande *n*), J. F. Gmelin *o*), Leonhardi *p*), Pharmacopoea russica *q*), Trommsdorff *r*), Gehlen *s*) 1805, Carminati *t*), Pharma-

---

k) Dictionnaire de Chymie. Paris 1766.

l) Dissertatio, respondente J. A. Lewel, de Tartaro antimoniato. Upsalae 1773; Opuscul. Ed. 1. Vol. 1. p. 338, Ed. 2. p. 318; Samml. vermischter Abhandl. jetzt lebender Chemiker. Hamburg 1782. p. 219; Baldingers Magazin für Aerzte. 1777. St. VII. p. 376.

m) Hist. de l'acad. de sc. à Paris. 1776. p. 3111; Crell's chem. Journ. V. p. 165.

n) Hist. de l'acad. de sc. à Paris. 1776. p. 327.

o) Einleitung in die Pharmacie. Nürnberg 1781. p. 134.

p) Macquer chem. Wörterbuch. T. V. p. 149.

q) Russ. Apothekerbuch übers. v. Schröder. 1788.

r) Lehrb. d. pharmac. Experimentalchemie. Altona 1796.

s) Neues allgem. Journ. d. Chemie. V. p. 549.

t) Giornal di fisica. Dec. 2. T. II. 1819. p. 165.

copoea Dublinensis et novissimo tempore Henry, Pulverem Algarothi praescripserunt. Henry u) 1,025 Kilogr. Pulveris Algarothi, aquae expertis, 1,486 Kilogr. Cremoris Tartari cum aquae bullientis Kilogr. 66 misceri, liquorem ad 25° Araeometri evaporari, filtrari et in crystallos redigi suadet.

§ 9.

E Butyro Antimonii (Stibio chlorato). Lassone v) 1768 hoc usus est praeparato, ita quidem, ut per liquorem Kali dilutum Oxydum Antimonii pararet istudque cum aequalibus Cremoris Tartari partibus adhiberet, ad conficiendum Tartarum stibiatum.

Lewis w) Oxydum, eadem via paratum, cum partibus 16 Cremoris Tartari coqui et ad crystallisationem adigi jussit.

§. 10.

E Cinere Antimonii (Calce stibii grisea, Antimonio oxydato cum Stibio sulphurato non vitrificato). Von dem Sande et Hahnemann x) Cinerem Antimonii admodum col-

---

u) Journ. de Chim. med. 1826. T. I. p. 125; Brandes Archiv. XX.; Journ. de Pharmacie XII.

v) Nouvelles recherches sur la combinaison de l'acide concret du Tartre avec l'antimoine; Mem. de l'academie de Paris 1767. p. 520.

w) Allgem. Engl. Dispensatorium

x) Kennzeichen von der Güte und Verfälschung der Arzneimittel. 1787. p. 236; Monros Arzneimittellehre übers. v. Hahnemann. T. I. 1795. p. 310.

laudarunt ad parandum remedium nostrum, quippe qui minoris pretii sit, pulvere Algarothi, nec non facilius solvatur Vitro. Aequales Cineris atque Cremoris Tartari coquebant portiones, dein liquorem seponebant crystallisandum. Eidem methodo favit Lartique *y)* 1799.

B. Methodi Tartarum stibiatum ope Antimonii oxydati, variis modis ex Antimonialibus secreti, conficiendi.

§. 11.

Jam Rudolphus Glauber *z)* anno 1648 partes 1 Florum Antimonii, vel Vitri, 3 Cremoris Tartari, cum sufficiente aquae copia coqui, lixiviam exsiccari residuumque cum Spiritu vini digeri jussit, qua ratione tinctura rubra, guttis 2—12 emesin efficiens, extraheretur. Ex parandi modo liquet, hoc processu formari Tartarum stibiatum.

Partes 1 Florum Antimonii, 4 Cremoris Tartari adhibuit Nicolaus Lemery. *a)*

Partes 4 Florum Antimonii, 6 Cremoris Tartari

---

y) Journal de la Société des Pharmaciens de Paris. Anno V. N. X. p. 122; Trommsdorff Journ. VII. St. 1. 1700. p. 190; Barclay u. Willichs Journal für Deutschland, phys. chem. Inhalts.

z) Furni philosoph. 1798. 1700. p. 144.

a) Traité de l'antimoine; Neue curieuse Geheimnisse des Antimon. Dresden. 1709.

J. Zwelfer *b)* 1688 cum aqua coxit, lixiviamque inspissavit. Cujus praeparati dosis granor. X—XX emesin ciebat.

§. 12.

Bucholz, celeberrimus ille chemicus, 1811 primus argumentis probavit, Oxydum Antimonii, Acido nitrico paratum, in conficiendo Tartaro stibiato omnibus aliis praeferendum esse Antimonialibus. Partes 3 Oxydi, 4 Cremoris Tartari sumsit, easque per horas aliquot cum aqua digestas coxit, et liquorem seposuit crystallisandum; crystallos collectas aquae frigidae partibus 15 solvit, novaque crystallisatione formatas in usum medicum asservavit crystallos. Cum eo consentiunt Funke Lentiae, et Meissner Halae Saxonum.

Partes 4 Oxydi, 5 Cremoris Tartari, imperavit Geiger. *c)*

Philipps propriam indicavit viam Oxydum parandi, *d)* quam receperunt Pharmacopoea Londinensis atque Pharmacopoea Gallica, nec non Pharmacopoea Edinburgensis et Dublinensis,

---

b) Pharmacopoea regia, s. Dispensatorium novum locupletatum et absolutum. Norimbergae. 1688. p. 412; Appendix ad animadvers. in Pharmacop. angustan. 1693. p. 78 — 109.

c) Trommsdorff. Neues Journal. III. St. 1. p. 461.

d) Pharmacop. Londinensis; R. Phillips in Annals of Philosoph. 1824; Buchners Repertorium XVI. 158; Brandes Archiv. T. IX. p. 88; Geigers Magazin. T. VII p. 256.

quarum posteriores vero proportiones singularum mutarunt substantiarum. *e)* Soubeiran *f)* hanc prae ceteris laudat methodum.

§. 13.

Pharmacopoea novissima nostra ad parandum Tartarum stibiatum uti jubet aequalibus Oxydi Antimonii et Cremoris Tartari portionibus, formulamque hanc proponit:

℞ Stibii oxydati grisei
Tartari depurati
Aquae destillatae singulorum uncias 4.

In vase porcellaneo mixta digerantur per horam, calorem sub finem ad 80° augendo. Tum adde

Aquae destillatae quantum satis,

ut pondus totius liquoris adhuc calidi filtrati sit librarum 5, quem lege artis in crystallos redige. Has tritas in

Aquae destillatae frigidae partibus 15

solve. Liquor filtratus denuo in crystallos redigatur, quarum albissimas in pulverem subtilissimum tere, in vitro bene obturato caute servandum. *g)*

---

e) Brandes Repert. f. d. Chemie. Hannover. 1828. Vol. VI. p. 251.

f) Journal de Pharmacie. X. 524; Brandes Archiv. XIII. p. 89.

g) Pharmacopoea borussica, Ed. 5. Berolini. 1829. p. 247.

Methodus modo descripta merito optima est habenda, quippe qua adhibita, semper aequale obtineatur praeparatum.

§. 14.

De ipso parationis processu.

De paratione Tartari stibiati nonnulla addere liceat. Quod ad vasa attinet, hunc in finem adhibenda, chemici dissentiunt, quaenam sint praeferenda. Beaumé, *h)* Tartarum stibiatum metallis decomponi, ratus, vasis ferreis et cupreis plane rejectis, vitrea argenteaque, Lucae stannea, van Szütz vitrea, Bucholz cuprea, Hermbstädt et Gehlen *i)* 1802 vasa ex Antimonio confecta, commendarunt. Pharmacopoea borussica 1829 porcellanea praescribit. Gerlinger *k)* se observasse tradit, crystallisationem perfectiorem evenire in vasis vitreis, quam in porcellaneis.

§. 15.

Altera lis inter chemicos exorta est, utrum coctio, an digestio substantiarum mixtarum sit praefe-

---

h) Vaudermonde Recueil periodique d'Observations de Médecine, de Chimie et de Pharmacie. IV. V. 1756; Roux Journal de Médecine. XIII. 1760; Neue Samml. auserlesener Wahrnehmungen. IV. p. 56, V. p. 21; Spielmann Institutiones chemicae. Argent. 1763. p. 454. J.I. Kirsten, Dissert. de Tartaro emetico. Altdorf. 1794; Xav. v. Fauken, Dissert. de Antimonio. Vindobon. 1765.

i) Neues Berliner Jahrbuch. 1803.

k) Göttlings Taschenbuch. 1793. p. 147.

renda. Mynsicht mixtionem tantum digessit; *l)* qui secuti sunt chemici, modo hanc modo illam laudarunt methodum. Coctionem vindicantes, ut Nicol. Lemery, J. Zwelfer, Lewis, Caille, Dollfufs, von dem Sande, Hahnemann, van Szüts, Drapier, eo argumento fulciri putant sententiam suam, quod Antimonii praeparata difficilia sint solutu. Contra Niemann *m)* et F. Hoffmann *n)* coctione nimis longa metalli partem fugari crediderunt. Anonymus quidam *o)* 1784 mixtionis digestionem per horas 10—12 continuatam sufficere contendit, annuente Stucke *p)* 1790. Cl. Bucholz tandem extra dubitationem posuit digestione tantum horarum 3—4 opus esse, ad Antimonium oxydatum cum Tartaro perfecte conjungendum.

§. 16.

Jam supra exposui, quinam chemicorum inspissationem lixiviae, quinam crystallisationem imperaverint. Auctor inspissationis erat Christ. Marggrave, *q)* hanc ad methodum suscipiendam eo permotus, quod crystallisando Tartarus stibiatus Tartaro

---

l) l. c.

m) Lectiones chirurgicae. p. 346.

n) Observationes physico-chemicae. Halae. 1722. p. 169.

o) v. Crells chem. Annalen. 1784. I. p. 230.

p) v. Crells chem. Annalen. 1790. II. p. 240.

q) Mat. med. contract. Amstelod. 1682, Collect. chemic. Leyden. Cap. XV; Pharmacopoea Hollandica. 1686.

mixtus, ergo efficacia certa destitutus, obtineatur. Eodem argumento ducti, Hermbstädt, *r)* van Mons, *s)* Scherf, *t)* Trommsdorff, *u)* Lucae, praetulerunt inspissationem. Von dem Sande vero et Hahnemann jamjam plane eam rejecerunt, crystallisationemque commendaverunt. Sic diu inter chemicos litigatum est, utra praeferenda sit methodus; Bucholz tandem anno 1801 egregie commonstravit, Tartarum stibiatum, inspissatione paratum, plane e medicamentorum ordine esse relegandum, quippe qui semper Tartaro, Oxydo ferri saturato, nec non Calcarea tartarica inquinatus sit. Probavit idem, Tartarum stibiatum, crystallisatione paratum, solvendo et denuo crystallisando Ferro oxydato, Calcarea tartarica et Tartaro ei admixtis plane privari.

Descriptio Tartari stibiati.

§. 17.

Tartarus stibiatus est sal duplex, crystallos exhibens albas, *v)* splendentes, pellucidas, quae tritae

---

r) Experimentalchemie. Vol. II. 1793. p. 371.

s) v. Crells chem. Annalen. 1793. II. p. 34.

t) Uebersetzung d. lat. Ausgaben des Lippeschen Dispensatorium Vol. II. 1801. p. 92.

u) Lehrbuch der pharmaceut. Experimentalchemie. Altona. 1796.

v) Color luteo albus, vel albovirescens, crystallis a prioribus chemicis adscriptus, rerum alienarum admixtioni debetur.

pulverem edunt albissimum. Criterium commune crystallorum auctore Brooke *w)* est structura octaëdrica, cum basi rhombica, vel tetraëdrica, in qua unus tantum transitus, planis parallelus, invenitur; illa saepe striata, crystallique ad angulorum directionem elongatae sunt. *x)* Sapore gaudent peculiari, primum subdulci nauseoso, dein irritante, metallico.

Tartari stibiati indoles chemica.

§. 18.

Aëri libero submissae crystalli Tartari stibiati neque illius attrahunt humorem, neque in pulverem collabuntur, attamen sensim fatescunt simulque splendorem, nec non pelluciditatem amittunt, speciem terrae porcellaneae ustae similem recipientes, sine ponderis mutatione, teste Viro Clar. Bucholz, quod autem Drapiez, innixus multis experimentis, diverso temperaturae gradu institutis, negat.

Calor modicus aquam primum Tartaro stibiato expellit, auctus vero compositionem ejus destruit chemicam.

§. 19.

Solvitur Aqua, multo facilius vero fervida, quam frigida. Priores relationes chemicorum Celeberr.

---

w) Brooke Annales cf. Philosoph. N. S. 1823. Juli. p. 41. Brandes Archiv. IX. p. 40.

x) De crystallorum structura penitiore cf. R. Brandes Repertor. f. d. Chemie. Hannov. 1828. Vol. II. p. 254.

Bergman, Hermbstädt, Hahnemann, von dem Sande et Lagrange, *y)* de solubilitate Tartari stibiati justa praebere non poterant ratiocinia, quia Tartaro stibiato, secundum vetustiores methodos parato, ideoque impuro, ad experimenta utebantur. Teste Bukal *z)* pars 1 Tartari stibiati requirit aquae frigidae partes $14\frac{2}{7}$ bullientis 1,88 ad perfectam solutionem sub temperatura 10—42° R. Seriem experimentorum sub variis temperiei gradibus instituerunt Firnhaber et Brandes. *a*). Charta docimastica coerulea, solutione imbuta, rubescit.

Spiritu vini solvitur Tartarus stibiatus, minime autem Alcohole.

§. 20.

Alcalia carbonica e solutione Antimonium oxydatum, *b*) Solutio Hepatis Sulphuris Sulphur auratum stibiatum, Aqua hydrothionica Kermes *c*) praecipitant. Acida mineralia fortiora, neque minus Acidum sulphuricum et muriati-

---

y) Vide R. Brandes Repertor. f. d. Chemie. Hannover. 1828. Vol. II. p. 256.

z) Annales de Chimie. XXXXIX. p. 70.

a) Brandes Archiv. Vol. III. p. 223; Geiger Handbuch der Pharmacie. T. I. p. 602.

b) Thenard Annales de Chimie. XXXXV. p. 38; Trommsdorff Journal. X. 2. p. 201.

c) Bucholz Theorie und Praxis. Ed. 2. Vol. II. p. 198.

cum, Tartarum stibiatum destruunt. Decomponitur porro Principio adstringente, quod cum Oxydo Antimonii, ei insito, init conjunctionem, ideoque ejus temperat effectum. *d*)

Compositio Tartari stibiati.

§. 21.

Omnium Stibii praeparatorum Tartari stibiati notissima est compositio, quamvis et de hac chemicorum sententiae valde differant. Priores parandi methodi maxime discrepantia propter diversitatem compositionis producta ederent, necesse erat, quod experimenta analytica Viror. Clariss. Geoffroy, Navier, *e*) Bergman, Bindheim, Lucae aliorumque, maximam partem minus apta, ostendunt. Imo nonnulli, ut Neumann, *f*) Tartarum stibiatum Acido tartarico (Cremore Tartari) et Regulo Antimonii consistere, putabant. Thenard *g*) primus accuratiorem instituit analysin, Tartarumque stibiatum reperit compositum:

---

d) cf. de connubiis Tartari stibiati cum aliis remediis.

e) Dissertations en formes de lettres sur quelques maladiès. Paris. 1783. p. 57.

f) Lectiones chymicae. p. 364.

g) Trommsdorff chem. Bibliothek. Vol. IV. St. 2. p. 10; Annales de Chemíe. Vol. XXXXI. p. 38; Französ. Annalen von Pfaff und Friedländer. Heft III. p. 127; Trommsdorff Journal X. St. 2. 1802. p. 207; Scherers Journal. VIII. p. 630.

Antimonii oxydulati *h*). . . .	38
Acidi tartarici	34
Kali	16
Aquae	8

Continent igitur 100 partes:

Kali tartarici	35,4
Antimonii oxydulati tartar.	56,3
Aquae	8,3

§. 22.

Alias post illum analyses Barruel *i*) et Hildebrandt, *k*) recentiore tempore Drapiez, Goebel, Wallquist et Philipp susceperunt.

Drapiez *l*) magnum instituit experimentorum numerum, quibus, compositionem Tartari stibiati admodum variare secundum methodum parandi, probavit. Quibus observationibus ductus, primum opinatus est, metallum diverso oxydationis gradu existere in variis praeparatis. Postea autem, cum experimenta instituta hanc non probarent opinionem,

---

h) Annotari necesse est, per antimonium oxydulatum semper intelligi Antimonium oxydatum Berzelii.

i) Journal de Pharmacie. 1808.; Trommsdorff Journ. XVI. St. 2. 1807. p. 285; Brandes Repertor. f. d. Chemie. Vol. II. p. 258.

k) Brandes Repertor. f. d. Chemie. Vol. II. p. 258.

l) Annales generales des sciences physiques. 1819. Vol. II. p. 215; Schweiggers Journal. XXX. 406; Giornale di fisica chimica. Dec. II. T. III. p. 43; Berliner Jahrbuch XXIV. Abth. 1. p. 210; Buchner Repertor. X. p. 70; Brandes Repert. f. d. Chemie. Vol. II. p. 253—260.

compositionem diversam in majore, vel minore Tartari posuit quantitate, quam singula continerent praeparata. Invenit in Tartaro stibiato, secundum suam methodum *m*) parato:

Antimonii oxydulati	44,0
Acidi tartarici	35,0
Kali	12,1
Aquae	6,2
Silicii, Ferri, Calcareae muriaticae, damni	2,7 *n*)

Tartari stibiati Acido tartarico, Kali et Vitro Antimonii parati, 100 partes continebant:

Antimonii oxydulati	37
Acidi tartarici	39
Kali	19
Aquae	5

§. 23.

Secuudum experimenta, quae Goebel *o*) instituit de Tartaro stibiato perfecte crystallisato, 100 partes ejus continent:

---

m) V. supra.

n) Brandes Repertorium f. d. Chemie. Vol. II. p. 258.

o) Brandes Archiv. III. p. 340, IX. p. 90; Schweiggers Journal. N. R. VIII. p. 79; Buchners Repertor. XVIII. p. 418; Berliner Jahrbuch. XXV. Abth. 2. p. 226; Brandes Repertor. f. d. Chemie. Vol. II. p. 260.

Antimonii oxydulati	41,4
Acidi tartarici	45,2
Kali	10,5
Aquae	3,2

Wallquist *p*) reperit in 100 partibus Tartari stibiati:

Acidi tartarici	38,61
Antimonii oxydulati	42,44
Kali . . . . , ...	13,26
Aquae . . . . , . .	5,14

Constat igitur:

1 At. Kali = 589,916
2 At. Acid. tart. = 1673,894
2 At. Antim. oxyd. = 1912,914
2 At. Aquae = 224,958

Recentissimas disquisitiones de Tartari stibiati compositione instituit R. Phillips, *q*) simulque priores epicrisi submisit analyses. Experimentis invenit in Tartaro stibiato:

2 At. Acidi tartarici	16,5
3 At. Antimonii oxydulati . . .	19,5
1 At. Kali	6,0
2 At. Aquae	2,25
	44,25

---

p) Berzelius Jahresbericht. 1824. p. 100; Brandes Repertor. f. d. Chemie. Vol. II. p. 261; Dulk Pharmacop. boruss. Leipz. 1829. Vol. II. p. 749.

q) Annales of philosoph. IX. 1825. p. 326; cf. Brandes Archiv XVIII. p. 184; Kastners Arch. VI. p. 60; Ferussac Bullet. des sc. phys. IV. p. 128; Geigers Magazin. XII. p. 166; Brandes Repertor. f. d. Chemie. II. p. 262.

vel

1 At. Bitartratis kalici	180	49,58
3 At. Antimonii oxydulati	156	42,97
3 At. Aquae	27	7,45
	363	100

§. 24.

Quomodo haec elementa conjuncta sint in Tartaro stibiato, ad hunc usque diem nondum diremtum est, cum sententiae chemicorum hac de re valde discrepent. Wallquist Antimonium oxydatum in tartaro stibiato instar acidi agere censet in Kali, quare hancce proponit formulam: r)

$$\ddot{K}\,\overline{T}^{3} + \ddot{K}\,\dddot{Sb}^{4} + 8\ Aq.$$

Cum Wallquist Berzelius consentit, qui in tabellis de partibus constituentibus hanc edidit formulam: s)

$$3\ddot{K}\,\overline{T}^{2}\,Aq.^{2} + 4\,\dddot{Sb}\,\overline{T}^{3}\,Aq.^{3}$$

Geiger t) etiam sententiam a Wallquist propositam sequitur. Putat nempe, Tartarum stibiatum aequalibus mixtionis ponderibus (Mischungsgewichten) Antimonii oxydati tartarici duplicis, et Kali cum Antimonio oxydato, consistere. Brande u) Tartarum stibiatum ex Kali tartarico, cum dimidia Antimonii oxydati subtartarici parte compositum esse, existimat.

---

r) Brandes Repertor. f. d. Chemie. Vol. II, p. 264.

s) Ibidem.

t) Magazin. VII. p. 265; Brandes Archiv XIII. p. 89.

u) Materia medica übers. von Wolf. p. 324.

§. 25.

Secundum Gusserow, v) qui, ne dicam in omnibus, tamen in plurimis substantiis vegetabilibus binarias existere putat elementorum conjunctiones, Acidoque tartarico 2 At. Carbonei oxydati, 2 At. Hydrogenii carbonati, 3 At. Hydrogenii hyperoxygenati adscribit, Tartari stibiati praeparatio conjunctionem Kali cum 2 At. Acidi tartarici efficit, quorum hoc pro 6 At. Hydrogenii hyperoxygenati 3 At. Acidi stibiosi continet, quum theoria electrochemica argumentis probet, Antimonium secundum hunc compositionis modum Hydrogenii locum tenere posse in Hydrogenio hyperoxygenato. Acidum vero stibiosum ea ratione oritur, ut formentur 3 At. Aquae, et 3 At. Oxygenii liberi cum Oxydo Antimonii ad Acidum stibiosum tunc sese conjungant. 3 Atoma Acidi stibiosi autem exacte 6 Atomis illis Hydrogenii hyperoxygenati, in 2 At. Acidi tartarici contentis, respondent.

Cui sententiae maxime illud favet, quod hac tantum theoria compositio Tartari stibiati, pariter ac indoles ejus peculiaris, explicari posse videtur, quodque optime convenit in Wallquistii analysin.

Inquinamenta in Tartaro stibiato obvia, nec non methodi, eorum explorandi praesentiam.

§. 26.

Omnium substantiarum alienarum, quibus Tartarus stibiatus inquinatus invenitur, frequentissime

---

v) Chemie des Organismus. Berlin. 1832 p. 103.

in eo occurrunt: Arsenicum, Ferrum, Cremor Tartari, Calcaria tartarica.

1) Inquinatio per Arsenicum, saltem vestigia ejus, fere semper in Tartaro stibiato, inspissatione parato, solent reperiri. Minime autem Arsenicum transit in Tartarum stibiatum crystallisatum, sive ex Antimonio oxydato subsulphurico, sive e Vitro Antimonii est paratus, quam ob causam hic illi omnino est praeferendus. Serullas multa circa hanc rem instituit experimenta, e quibus, Arsenicum, in Oxydo et Vitro Antimonii forte contentum, remanere in lixivia, luculenter patet. Ultimae Tartari stibiati crystalli, si tamen Arsenicum forte contineant, iterata aliquoties crystallisatione eo liberantur. *w*)

§. 27.

2) Inquinatio per Ferrum his dignoscitur signis: Color flavescens, haud plane albus crystallorum, suspicionem movet, Ferrum iis inesse. Vel Ferrum oxydulatum tartaricum, vel Kali tartaricum, Ferrum oxydulatum continens, adesse solet. Ad penitiorem disquisitionem instituendam, Tartarus stibiatus cum aquae frigidae partibus 14 agitetur, quo facto flavum, vel virescens manet residuum. Hoc cum aqua coctum solutionem praebet, quae additis Alkalibus sulphuratis, aut Tinctura Gallarum, praecipitato nigro

---

w) Journal de Pharmacie. 1821. p. 151; Brandes Archiv. II. p. 223. V. p. 84; Buchners Repertorium. Vol. X. p. 107.

Ferrum prodit. Residuum vel Ferro oxydulato tartarico constat, si nimirum partibus 8 aquae, cui paucillum Acidi tartarici admixtum est, plane solvatur, vel Kali tartarico, Ferrum oxydulatum continente, si non plane solvatur, sed album, vel flavescens offerat residuum, partibus 30 Aquae tantum solubile.

Aliam Ferrum explorandi Bucholz *x*) commendat methodum. Crystallos explorandas aqua solvit, solutionique Kali ferroso-hydrocyanicum addit, quo, si ferrum continent, Ferrum oxydulatum et oxydatum hydrocyanicum formetur, necesse est.

§. 28.

Plures tamen chemicorum observationibus confirmarunt, Tartarum stibiatum, e Vitro Antimonii paratum, cujus crystalli flavum monstrabant colorem, neque addita Tinctura Gallarum, neque Kali ferroso-hydrocyanico, Ferrum contentum prodere. Buchner *y*) idcirco, rem propius aggressus, eundem quidem obtinuit eventum; at, si hujus Tartari stibiati solutioni tantum Ammonii sulphurati admisceret, quantum ad solvendum Kermes, prius praecipitatum, sufficeret, floccos nigros remanere vidit, qui ex toto Ferrum sulphuratum referrent. Rationem hanc singularem Ferri diligentius exploravit, tandemque demonstravit, Ferrum tartaricum neque Kali carbonico,

---

x) Theorie und Praxis. Vol. II. p. 200; Trommsdorff Journal. IX. St. 2. p. 25

y) Repertorium f. d. Pharmacie. Vol. VI. p. p. 292; Berliner Jahrbuch. XXII. p. 258.

neque caustico, neque ferroso-hydrocyanico, indicari Tinctura Gallarum solutionem Ferri oxydulati tartarici nigro tinxit colore, deficiente praecipitato; Alkali carbonico vero addito, praecipitatum oriebatur coccineum. Cum Tartaro stibiato, Ferrum continente, Tinctura Gallarum etiam communicat denigrationem, quia Antimonium oxydulatum album nonnisi format praecipitatum, quod a ferro coerulescenti-cinereum obtinet colorem.

§. 29.

Cum igitur Ferrum Tartari stibiati neque Alkalibus, neque Kali ferroso-hydrocyanico praecipitetur, color flavescens, praecipitatum coerulescens, addita Tinctura Gallarum inductum, prae omnibus autem supra dicta exploratio per Ammonium sulphuratum, certissimae sunt notae, ad dignoscendum Ferrum, in Tartaro stibiato contentum.

§. 30.

3) Inquinatio per Cremorem Tartari, perinde ac superiores, in Tartaro stibiato saepe obvia, bene detegitur methodo, ab Henry indicata. Solutionem ex parte 1 Tartari stibiati et partibus 14 aquae paratam miscet cum Baryta muriatica, vel Ammonio oxalico, vel Plumbo acido acetico. Tartari stibiati solutio, si Cremoris Tartari expers est, illis non turbatur, quod fieri oportet, si continet Tartarum. Brandes z) salis pumblici decompositionem per

---

z) Repertorium f. d. Chemie. Vol. II: p. 263.

Tartarum stibiatum purum propterea non effici putat, quod acidum in Tartaro stibiato, sale neutrali, majore retineatur energia, quam in Cremore Tartari, sale acido. Ceterum eventus prosper hujus explorandi methodi quam maxime a solutionum reagentium pendet concentratione

4) Inquinatio per Calcaream tartaricam solutione instituta facile dignoscitur, cum Calcarea muriatica non solvatur aqua.

De indagando Tartaro stibiato in liquoribus mixtis.

§. 31.

Turner *a*) multas hac de re instituit disquisitiones per varia reagentia, e quibus Gas Hydrogenium sulphuratum certissimos obtulisse dicit eventus. Solutio enim, ex gr. j Tartari stibiati cum ℥viij aquae parata, statim permeante Gase Hydrogenio sulphurato aurantiacum obtinet colorem; quae si gase est satiata, et ad ejus expulsionem usque calefacta, sat magnam Stibii sulphurati dimittit copiam, quod colore facile ab aliis sulphuratis distinguitur metallis. Majorem, quam cum aliis, cum Cadmio sulphurato alit similitudinem, abs quo autem eo discernitur, quod Kali caustico solvitur.

§. 32.

Explorandi modus, omnibus aliis praeferendus,

---

a) Kastner Archiv. XI. 1827. p. 377.

hic est *b*): Explorare si velimus, an infusum theae cerevisia, lac, jusculum carnium et alia, Tartaro stibiato impraegnata sint, liquor explorandus cum Acidi tartarici ʒj—ij misceatur, quo omnia tam reagentibus praecipitata, (eo excepto, quod effecit Hydrogenium sulphuratum) quam substantiis animalibus vegetabilibusque solubilibus solvuntur; imo praecipitata per Principium adstringens, forma Decocti Chinae, Gallarum etc. adhibitum, hoc iterum solvuntur acido. Tum liquor per decem horae minuta coquatur ad excernendas substantias coagulabiles, deinde filtretur, quo facto Gas Hydrogenium sulphuratum elicitur. Pars fluidi, si libet, evaporetur, neutralisetur aliisque exploretur reagentibus, quamquam Antimonii sulphurati formationi semper plurimum fiduciae habendum est. Liquor si continet lac, simul Acidum hydrochloricum adhibendum erit, quo materia caseosa perfectius segregetur.

§. 33.

Praecipitatum Antimonium sulphuratum Orfila in crucibulo terreo cum Carbone et Potassi in metallum redigit; haec methodus vero ad explorandas portiones exiguas, in quibus disquisitiones medico-legales versari solent, vix commendanda est. Magis Turneri ratio reducendi nobis arridet, qui per Stibium sulphuratum, in tubulo vitreo usque ad

---

b) Die preufs. Pharmacopoe übers. u. erläutert von F. Ph. Dulk. Leipzig 1829. T. II, p. 751.

rubram candescentiam calefactum, Gas Hydrogenium traduci jubet. Hoc modo gr. $\frac{1}{10}$ Antimonii sulphurati in metallicum redegit statum.

Praeparata Tartari stibiati.

§. 34.

Antequam ad vulgaria nobisque adhuc usitata progrediar, nonnullorum vetustiorum adjiciam mentionem.

Tartarus vitriolatus antimoniatus *c*) a Fr. Hoffmann primo praeparatus est et adhibitus. Ad parationem usus est Tartaro stibiato, secundum methodum Marggravii confecto, quem Acido saturabat sulphurico. Nostro tempore non amplius in usum vocatur.

Tartarus tartarisatus antimoniatus *d*). Bergman hujus praeparati docuit parationem. Partes scilicet 10 Kali tartarici neutri cum partibus 3 Pulveris Algarothi coqui, deinde crystallisari jussit. Obtinebantur hoc modo crystalli octaëdricae, pellucidae, aliquanto post opacitatem concipientes, aquae 40 partibus solubiles. Solutio chartam docimasticam coeruleam rubro non tingebat colore; Kali caustico, nec non carbonico praecipitabatur; Acidum sulphuricum ex ea Antimonium secernebat. Hoc quoque praeparatum ad obsoleta pertinet medicamenta.

Tartarus stibiatus solubilis. Lassone,

---

c) Clavis pharmaceut. Schröder. Halae 1675. L. III. p. 299; Schröder Arzneischatz. 1686. L. III. p. 611.

d) Brandes Repertor. f. d. Chemie. Vol. II. p. 241.

observationibus edoctus, Tartarum stibiatum, secundum methodos tunc temporis usitatas paratum, haud plane aqua solvi, aeqnale Ammonii muriatici admiscuit pondus, istoque modo salem impetravit flavescentem, foliatum, aqua facile solubilem, cum Hydrogenio sulphurato Kermes, cum Kali vero caustico Ammonium formantem *e*).

Tartarus emeticus solubilis, a Mose Charas *f*) propositus, nil est, nisi Tartaras stibiatus vulgaris.

§. 35.

In Pharmacopoea novissima nostra haec inveniuntur Tartari stibiati praeparata:

Vinum stibiatum, (Aqua benedicta Rulandi, Vinum Antimonii Huxhami.). Huxham, qui primus hoc apposuit praeparatum, Vitrum Antimonii Vino malacensi, Ruland autem Vino acido solvit. Cum vero portio Vitri soluti propter difficilem solubilitatem accuratius nequeat definiri, eamque ob causam horum praeparatorum incertus evadat effectus, Pharmacopoea borussica, utraque ratione relicta, earum in locum solutionem Tartari stibiati in Vino malacensi substituit, quum hic non solum facilius solvatur, sed etiam inquinamentis careat, quae utplurimum Vitro Antimonii insunt. Afferam formulam Pharmacopoeae nostrae:

---

e) Lucae Berliner Jahrbuch. IV. 1798. p. 150.

f) Pharmacop. reg. Galen. et Chem. Gen. 1686.

℞. Tartari stibiati gr. xxjv
Vini malacensis ℥xij

Solve, filtra, et serva in vasis bene clausis *g*).

Unguentum Tartari stibiati, Autenriethii, Ph. bor. Pharmacopoea hoc remedium inter medicamenta enumerat, quae in officinis praesto sint, necesse non est, formulamque exhibet sequentem:

℞. Tartari stibiati subtilissime triti ℥ß
Adipis suilli loti ℥ij

Misce exactissime, ut fiat unguentum albissimum *h*).

Drachma j hujus unguenti Tartari stibiati ergo continet gr. xij *i*). Antea ʒj continebat Tartari stibiati gr. xx *k*).

Effectus Tartari emetici interne adhibiti.

§. 36.

Tartari stibiati efficaciam praecipue Antimonio ei insito deberi, neminem nostrum fugit. N. Lemery adhuc contendit, efficaciam ejus pendere ex Sulphure contento, quod Valentinus Kräutermann optime refutavit, illam ab Antimonio derivandam esse, demonstrans.

Omnium Antimonialium, in usum medicum ad-

---

g) Pharmacopoea borussica. Ed. 5. 1829. p. 266.

h) Eodem loco. p. 339.

i) Eodem loco. p. 348.

k) Pharmacopoea borussica. Ed. 3.

hibitorum, facillime Tartarus stibiatus solvitur, qua de causa, me judice, effectus ejus omnium remediorum antimonialium fortissimi ac citissimi optime derivantur. Testibus Haigthon, Magendie, Orfila et Krimer *l*), Tartarus stibiatus inprimis in nervum vagum agit; Weinhold *m*) contra, eum in medullam spinalem gravissimam exercere vim asserit, quae inde per totum diffundatur organismum, ita ut, si systema nervorum cito et valide afficere velis, non praestantius Tartaro stibiato invenias remedium. Maxime inter Antimonii praeparata debilitat, simulque fortissime agit in renes tractumque intestinorum, nec non in vasa lymphatica, membranas mucosas et cutem. Vogt *n*), praeter celeritatem, ait, Tartari stibiati effectus eo distingui ab aliorum Antimonialium viribus, quod simpliciter atque directe processum liquefactionis adjuvent, ideoque magis assimilationem et cohaesionem organicam offendant ceteris Antimonialibus. Non minus promte autem disparent, atque oriuntur, quam ob rem Clar. Vogt Tartaro stibiato minorem adscribit mixtionem commutandi vim, quam Antimonialibus Sulphur continentibus. Horum quidem, sed minime Tartari stibiati effectus, pro sequelis metamorphoseos perfectae organorum habendi sunt.

---

l) Allgem. medic. Annalen. 1807. St. VII. p. 1331.

m) Ansichten des Lebens und seiner Grundkräfte auf Versuche gegründet.

n) Lehrb. d. Pharmacodynamik. Gieſsen 1828. Vol. II. p. 467.

§. 37.

Propter virtutes resolventes, secretionem nec non resorptionem excitantes augentesque, Vir Ill. Sundelin *o*) Tartaro stibiato aeque ac praeparatis Antimonii in genere, locum ab Hydrargyro proximum in medicamentorum serie adsignat, etsi, quod ad cetera attinet, essentialiter differat. Caret enim virtute Hydrargyri, systema sanguiferum inde a lymphatico systemate irritandi et universum demum organismum graviter excitandi, quare bene medetur febribus inflammatoriis, nec non inflammationibus veris, imo stadiis earum prioribus. Effectus autem notatu dignissimos, Hydrargyro plane derogandos, exserit in nervos pectoris atque abdominis et, quemadmodum Hydrargyrum magis in partes resorptioni dicatas et glandulosas, ita Tartarus stibiatus magis in membranas agit mucosas et fibrosas.

Similitudinem porro eximiam alit cum aliis remediis nauseam moventibus, v. c. cum Ipecacuanha ex vegetabili, cum Zinco et Cupro ex minerali regno, quae omnia, uti Tartarus stibiatus, efficacia in nervos abdominales insigniuntur. Attamen modo dicta remedia mitiorem effectum praebent; Ipecacuanha minus crasin penetrat organicam, Zincum, si ceteras ejus respicias virtutes, prope accedit ad medicamenta metallica tonica.

§. 38.

Cum Tartari stibiati, aeque ac aliorum Stibii

---

o) Handbuch d. spec. Heilmittellehre. Berlin 1825. Vol. I. p. 268.

praeparatorum, vis irritans nequaquam organismi augeat energiam, sed latentem, vel torpore, ut ita dicam, oppressam tantummodo sistat itritationem; cum porro Tartarus stib. nunquam cor vasorumque systema eo petat modo, quo eorum energia actioque revera adaugeri possit; cum denique ex effectibus ejus semper auctae prodeant excretiones, et efficacia ejus irritans in systema nervosum modo sit partialis, semperque remissionem toni nervorum inducat: Ill. Sundelin *p*) Tartarum stibiatum in universum debilitans remedium habendum esse censet.

Transeamus ad accuratiorem effectuum, quos medicamenti nostri minores, mediae et majores doses in organismum exserant, indagationem.

§. 39.

Parva dosis (gr. $\frac{1}{8}$—$\frac{1}{4}$) Tartari stibiati hos exserit effectus: Sanguinis circulationem mediocriter accelerat, attamen peculiarem exhibet vim in vasa extrema, humoresque in iis stagnantes reddit mobiliores. In nervos excitantis instar remedii agit; efficacia ejus in systema cerebrale autem non tanta est, quanta in medullam spinalem, systema gangliorum et nervos periphericos, quippe quas partes non solum incitet, sed etiam perversam earum actionem componat. Cohnstein *q*) ergo medium ei adsignat

---

p) Handbuch d. spec. Heilmittellehre. Berlin 1825. Vol. I. p. 268.

q) Dissert. inaugur. exhibens Emeticorum parva in dosi virtutes. Vratislaviae 1825.

locum inter antispasmodica frigida et calida, propter vim autem nervos excitandi leniterque sanguifera vasa impellendi eum Moscho comparat. Tubi cibarii vim vitalem erigit actionemque auget. Vasorum lymphaticorum actionem resorptionemque non mediocriter fovet, nec non membranarum mucosarum promovet secretionem, et stagnationes efficacissime resolvit.

§. 40.

Effectus modo commemorati hunc ordinem sequuntur: Primum secretio in superficie interna ventriculi, deinde in toto canali intestinali, nec non in organis secretoriis cum illo commercium alentibus, imprimis hepate atque pancreate, augetur, quo fit, ut nausea levisque tantum exoriatur horripilatio. Tempore aliquo elapso, renum secretio promtior evadit, membranae mucosae omnes, praecipue bronchiorum, uberiorem secernunt mucum, magis serosum, facilius secedentem, quam ob rem tussis, si exstat, levior rariorque evadit, et expectoratio promtius succedit. Sudor copiosus universalis, per intervalla saepe rediens, absque praegressa vasorum cutaneorum irritatione manifesta, prorumpit. Interdum cutis perpetuo transpirat; deficiente sudore largo, major lotii copia secernitur *r*). Pustulas adeo, totam oris cavitatem obsidentes, observavit Basedow *s*),

---

r) Cohnstein l. c. p. 7; Vogt Handb. d. Pharmacodynamik. Vol. II. p. 467.

s) Hufelands Journal d. pr. Arzneikunde. 1828. Julius. p. 65.

§. 41.

Media dosis ($\frac{1}{2}$—1 gr.) Tartari stibiati protinus turbat digestionem, et ante nauseam evocat dysphoriam peculiarem abdominis *t*), derivandam haud dubie ab insultu, systema gangliorum tunc petente.

Magna dosis (gr. ij—iij) Tartari stibiati sanguinis impetum concitat in ventriculum, hebetudinem totius corporis, praecordiorum oppressionem, anxietatem, promtum secretionum omnium augmentum, cutem frigidam, pallorem faciei, labia coerulea, vomituritiones, tandem vomitum, nec non alvi dejectiones efficit. Rarius solam ducit alvum.

§. 42.

Nimia dosis denique Tartari stibiati ad instar veneni agit, nisi vomitu oborto cito rejiciatur. Quodsi, uti interdum fit, spastica oesophagi constrictione impeditur, periculosissima symptomata: saporem intense metallicum, calorem ardentem epigastrii, pulsum parvum, celerem, tensum, dolores acerbissimos ventriculi et abdominis, vomituritiones inanes, singultum, frigus vel ardorem cutis, extremam debilitatem, vertiginem, stuporem *u*), asphyxias, oppressiones ingentes pectoris, dolores vehementes extremitatum, praecipue inferiorum, diarrhoeas profusas, gastritidis atque enteritidis symptomata, convulsiones vehemen-

---

t) Cf. Vogt Handb. d. Pharmacodynamik. Vol. II. p. 468

u) Wesener in Hufelands Journal d. pr. Arzneik. 1828. Januar. p. 76.

tes, praecipue infantibus, imo mortem, inducere potest *v*).

Dr. Duffin, medicus Edinburgensis, inscius gr. xx—xxv Tartari stibiati cum solutione Kali carbonici loco alius remedii deglutivit. Aptis statim adhibitis medicamentis cum symptomata veneficii elevata essent, per dies sequentes scorbuticis laboravit affectionibus, quae tamen Antiscorbuticorum usui cesserunt *w*).

§. 43.

In cadaveribus hominum, nimiis Tartari stibiati dosibus exstinctorum, praeter gastritidis et enteritidis signa, pulmones sanguine oppleti, quasi hepatisati, valde contracti, non crepitantes, superficie vel aurantiaca vel violacea conspicui, apparent *x*).

Olei et Aquae tepidae portiones largae, per os et anum ingestae, optima antidota habentur. Spasmi si accedant, Opium in usum vocandum est. Adstringentium etiam remediorum decoctis, v. g. Decocto Cort. Chinae, Quercus, rel. uti licet, ad destruendum Tartarum stibiatum tollendosque ejus effectus *y*). Vomitus frequens si mox irruat, quo tota quantitas,

v) J. F. Gmelin Geschichte der thier. und mineral. Gifte. Erfurt 1806. p. 197; Sundelin Handb. d. spec. Heilmittellehre, Vol. I. p. 266. 267; Orfila Toxicologie. Vol. I. p. 268.

w) Froriep's Notizen. IV. p. 127.

x) Orfila Toxicologie. Vol. 1. Spiefsglanz.

y) Buchner Toxicologie. p. 367.

vel major saltem veneni deglutiti pars expellatur, Ill. Magendie, aegrum servari, putat z).

§. 44.

Clariss. Weinhold a) experimentis, circa Tartarum stibiatum in animalibus institutis, certior factus est, granis iij Tartari stibiati, cuniculo oblatis, totam sanguinis molem in sanguinem, homogeneum, intensissime rubrum, oppressa simul sensibilitate, mutari; irritabilitatem vero ita alienari, imprimis si per ligaturam in ventriculo medicamentum retineatur, ut cor musculique mox relaxentur et procul dubio, cordis nervis resolutis, oriatur apoplexia cordis, qua sanguis opacus substantiam cineream cerebri pulmonumque intret parenchyma. Krimer in canibus, quibus Acido hydrocyanico nervorum abstulerat actionem, infusa solutione gr. iij Tartari stibiati in ventriculum, nullum observavit vomitum. Ill. Magendie b) canem, si oesophagus ligatura constringeretur, granis jv Tartari stibiati interfici, comperit.

---

z) De l'influence de l'emetique sur l'homme et les animaux par Magendie.

a) Ansichten des Lebens und seiner Grundkräfte auf Versuche gegründet.

b) De l'influence de l'emetique sur l'homme et les animaux par Magendie.

Effectus Tartari stibiati externe adhibiti.

§. 45.

Non secus differunt, ac adhibendi rationes. Tartari stibiati gr. v, cum paucillo aquae ante cubitum in hominis sani volam manus infricata, calorem modicum et transpirationem lentam, imo semel nauseam, diarrhoeam, *c*) somni desiderium; gr. xv—xx vero, vespere eodem modo applicata, calorem immodicum, sudorem copiosum, pulsum pleniorem, nauseam fere inexpugnabilem, somni cupiditatem, auctamque renum secretionem; ℈j in brachium infricatum juxta vasorum lymphaticorum decursum, calorem summum, pulsum acceleratum, somnolentiam, transpirationem uberrimam, quin imo pustulas parvas, effecere. *d*)

§. 46.

Tartarus stibiatus qua talis, si in vulnus immittitur, plerumque emesin ciet. Krimer, hac de re

---

c) John Sherwin Observations on the effects of emetic tartar. by external absorbtion Mem. of the Med. Soc. of London. Vol. II. pag. 386; Lettsom ibidem; Richter Chirurg. Bibliothek. P. X. p. 413.

d) Benjamin Hutchinson Mem. of the med. Soc. Vol. V.; Cf. Benjamin Hutchinson über den äusserlichen Gebrauch des Brechweinsteins, in Sammlung auserlesener Abhandlungen zum Gebrauch practischer Aerzte. Vol. XIX. St. 4. p. 523.

experimento in semet ipso instituto certior redditus, infusioni hanc methodum praeferendam esse, opinatur, quippe qua sine alio damno sanetur vulnus, facta autem infusione, tota vena mediana usque ad truncum soleat inflammari. Cui autem Ill. Vogt *e*) recte objicit, rationem hanc parum tutam esse, quod Tartari stibiati resorptio per vulnus minus certa, ideoque successus sit dubius, praecipue vero, quod propter causticam Tartari stibiati virtutem saepissime inflammatio partis sat valida, (quam etiam pater carissimus semel observavit) imo ulcus gangraenosum, vasorumque lymphaticorum, nec non glandularum finitimarum affectiones oriantur vehementissimae.

Brodie experimenti causa animalibus immisit Tartarum stibiatum in vulnera. Effectus prodiere: vomitus, pulsus debilis, sopor, torpor, paralysis, mors. Cor post mortem adhuc pulsat, visque ejus per horae minuta aliquot respiratione sustineri potest artificiali; musculi post mortem mediante galvanismo ad contractiones adigi queunt; inflammationis ventriculi signa nunc adsunt, nunc absunt. Brodie, periculorum eventu nixus, opinionem profitetur, Tartarum stibiatum aeque ac Arsenicum Barytamque muriaticam agere. *f*)

---

e) Lehrb. d. Pcarmacodynamik. Vol. II. p. 744.

f) Philosoph. Transactions. 1812; Annales de Chim. et de Phys. XCIII. p. 5; Trommsdorff Journ. XXV. St. 1. p. 326.

§. 47.

Unguenti forma adhibitus, tardius resorbetur assimilaturque Tartarus stibiatus. Primum leviter cutem irritat, ejusque adauget secretionem. Infrictione repetita, gravior oritur irritatio, tenueque emergit exanthema; diebus aliquot elapsis, pustulae erumpunt variolis similes, areola rubra cinctae, primum lympha, dein pure impletae, admodum prurientes, post aliquantum temporis arescentes, crustasque formantes, sub quibus interdum satis altae exstant foveae. *g*) Haud raro, imprimis infantibus, pustulae in remotioribus quoque partibus, plerumque in genitalibus, apparent. *h*) Celeb. Kopp saepius pustulas vidit, puris loco serum sanguinolentum continentes, quae ruptae collabuntur, nigrescunt et ulceribus exedentibus ansam praebere possunt. Infrictiones frequentissimae si instituuntur, cutis corrumpitur abitque in ulcera superficialia, impura, lardosa, marginibus eminentibus conspicua, valde dolentia. Hominibus cachecticis singulae etiam pustulae in ejusmodi ulcera vertuntur. Quandoque effectus quidam exiguus in canalem intestinalem observatur, ei similis, quem

---

g) Gerhard v. d. Busch Heilsame Wirkungen der Brechweinsteinsalbe. Hufelands Journal d. pr. Arzneik. 1826. September. p. 83.

h) Horst Empfehlung einer neuen ganz vorzüglichen Heilungsart bei dem Keichhusten, nebst Bemerkungen über die Antimonialsalbe. Hufelands Journal. 1813. Febr. p. 10.

exserit Tartarus stibiatus interne adhibitus. Infanti alicui unguentum, circa columnam vertebralem infricatum, vomitum intulit biliosum atque mortem. *i*)

§. 48.

Quibus omnibus reputatis phaenomenis, facile est intellectu, Unguentum Tartari stibiati non superficialem tantum producere cutis irritationem, instar plurimorum Revellentium et Derivantium, sed evocato exanthemate, nec non inflammatione telae cellulosae, cuti substratae, penitius universam cutis offendere metamorphosin, inque ea liquefactionis, imo decompositionis, augere processum, simulque mixtionem alienare. Effectus ejus non a sola organismi reactione in chemicum insultum est repetendus; magis enim succedit ejus assimilationi per vasa lymphatica. *k*)

Non improbabile videtur, effectus Tartari stibiati nequaquam cute sola limitari, sed juxta vasorum lymphaticorum decursum ad longinquiora expandi vegetationis organa; certe exanthema, remotioribus in locis, iisque vasorum lymphaticorum ditissimis, ut genitalibus, apparens, admodum hanc opinionem tuetur, nam sententia Cel. Niemann, *l*) illas scilicet pustulas, genitalia obsidentes, particulis Tartari sti-

---

i) Allgemeine med. Annalen. 1823. p. 1130.

k) Vogt loco citato Vol. II. p. 475.

l) Ueber die Anwendung des Brechweinsteins in Pflasterform. Hufelands Journal. 1818. Febr. p. 113.

biati segregatis, quae genitalibus adhaeserint, exortas esse, minus mihi arridet.

§. 49.

E dictis abunde patet, Unguentum Tartari stibiati ab Epispasticis et Vesicantibus, v. g. Emplastro vesicatorio perpetuo Janini, quocum conferri solet, satis discrepare. Multo vehementius agit in organa interiora, cum cute commercium alentia, eorumque auget liquefactionis processum, nec non materias dyscrasicas in cute deponendi opportunitatem iis praebet. G. v. d. Busch *m*) ulcerum artificialium causa, quae sequuntur, Unguentum Tartari stibiati comparat cum fonticulis, eique medium adscribit locum inter Epispastica nec non Vesicantia, et Moxam, Caustica, Ferrum candens.

§. 50.

De Emplastro Tartari stibiati eadem fere dicenda sunt, quae modo de unguento commemoravi, si ab eo discedas, quod illi major insit irritandi virtus, quam unguento.

Enemata cum Tartaro stibiato parata inter alias virtutes inprimis vim egregiam derivantem, aperientem, resolventem exhibent.

§. 51.

Tartarus stibiatus solutus ad lotiones adhi-

---

m) Heilsame Wirkungen der Brechweinsteinsalbe in Fällen von Phthisis pituitosa, Hufelands Journ. 1826. September p. 83.

bitus, cutem quidem irritat, at irritatio magis est superficialis, vi nimirum, cutis metamorphosin lente mutandi, omnino fere deficiente. Plerumque erythema tantum apparet leve, cum exiguo resorptionis atque liquefactionis interiorum partium augmento, sine exanthemate pustuloso. Nonnunquam hasce volae manus, vel praecordiorum lavationes diarrhoea vomitusve sequuntur, quare ad emesin ciendam a nonnullis commendatae sunt medicis; Krimer vero, Bradley, *n*) Gaitskell, *o*) Struve et alii hanc methodum, sicut mihi quidem videtur, optimo jure repudiant, propter effectum admodum incertum.

§. 52.

Infusiones solutionis gr. ij—jv Tartari stibiati in venam incisam vehementissimo, eodemque promtissimo effectu sunt insignes. Pater meus ante annos aliquot talem instituit infusionem in muliere maniaca. Eodem fere temporis momento mania cessit simulque tremor incidit ac sudor. Pluribus probatum est exemplis, mortem fere inevitabilem sequi, nisi mox vomitus exoriatur.

Hammann *p*) in venam incisam canis grana jv Tar-

---

n) Observations on the external use of tartarized antimony. Mem of the Med. Soc. of London. Vol. IV. p. 247.

o) Observations and experiments on the external absorption of emetic tartar and arsenic. Ibidem. Vol. IV. p. 79.

p) Richter Chirurgische Bibliothek. Vol. IV. p. 687.

tari stibiati, unciis jv aquae soluta, injecit, terque post horam dimidiam observavit vomitum.

De Tartari stibiati cum aliis remediis conjunctione.

§. 53.

Antequam de usu Tartari stibiati medico disseram, nonnulla tradam de ejus conjunctione cum aliis remediis.

Tartarus stibiatus sine ullo detrimento aliis cum salibus conjungi potest, e. c. cum Kali nitrico, tartarico, acetico, citrico, Tartaro depurato, Ammonio muriatico etc. Cum sale tantum mirabili Glauberi (Natro sulphurico) medici nonnulli eum conjungi dissuadent, quia, ob Acidi sulphurici majorem cum Kali, quam cum natro affinitatem, Tartari stibiati timent decompositionem. Kortum *q*) Tartarum stibiatum huic conjunctum multo minori dosi vomitum efficere, observavit.

Mentionem adhuc subjiciam necesse est conjunctionis Tartari stibiati cum Opio et cum China. Cum Opio conjunctus Tartarus stibiatus effectus exserit, illis simillimos, qui Pulvere Doveri proferuntur. Attenuatur vis ejus nauseans opio, augetur vero virtus sudorifica. Vice versa effectus obstipantes atque narcoticos Opii magna ex parte tollit.

---

q) Einige fehlerhafte Verbindungen von Arzneimitteln. Hufelands Journal. 1797. IIft. III. p. 26.

Cum China conjunctus Tartarus stibiatus virtutem emeticam plane exuit, ejus autem loco egregias diaphoreticas, nec non diureticas accipit vires, quod jam Cornette et Dunion affirmarunt. r) Attamen hàc compositione Chinae vis febrifuga non deletur, s) quod phaenomenon Pelletier et Caventou t) ita declarandum esse putant, ut Chinini sal non solutus remaneat, dum Principium adstringens Chinae cum Antimonio oxydato Tartari stibiati ineat conjunctionem. Similem omnes, Principium adstringens, nec non multae, principium amarum continentes substantiae, cum Tartaro stibiato conjunctae, exsérunt efficaciam.

Usus interni Tartari stibiati expositio.

§. 54.

De Indicantibus et Contraindicantibus.

Indicationes ad internum Tartari stibiati usum maximam partem ex ejus effectibus jamjam queunt

---

r) Memoires de l'academ. de Medec. 1782. Paris. p. 249; Crells chem. Annalen. 1794. II. p. 458.

s) Cf. Fabroni Memorie di Matematica e di fisica della societa Italiana delle Scienze Modena. 1803. X. parte I. p. 314; Berlin. Jahrb. XIII. p. 99.

t) Journal de pharmac. 1821. März; Buchners Repertorium. Vol. XII. p. 96; Berliner Jahrbuch. XXIV. 1. p. 80.

deduci. Remedium efficacissimum praebet, si systematis irritabilis actionem diminuere, canalis intestinalis, nec non organorum, cum eo commercium alentium, energiam secretionesque augere, cutis et omnium membranarum mucosarum secretiones copiosas evocare, resorptionem adjuvare, assimilationem et reproductionem vero comminuere, irritationem validam nervorum abdominalium excitare, et per hanc abnormem aliorum plexuum nervosorum actionem coërcere moliamur. Ill. Vogt, *u*) remedium nostrum, ait, simplicibus tantum superficiei internae et externae retentis secretionibus indicari, generatim si intersit, ut utriusque superficiei secretiones augeantur magisque liquefiant, sine majori mixtionis mutatione. Effectus, quos Tart. stib. in systema sensibile exserit, nervis abdominis haud limitantur, sed supra totum expanduntur systema nervorum. Optime agit in homines constitutionis torpidae, inertis, obesae, laxae, leucophlegmaticae.

Debilitas vera, magna sensibilitas et irritabilitas, inprimis canalis intestinalis, propensio ad diarrhoeas noxias, ad decompositionem putredinemque, Tartari stibiati usum internum, certe longiorem, vetant. *v*)

Superest, ut gradum faciam ad enumerationem singularium, quibus Tartarus stibiatus opitulatur, morborum.

---

u) Lehrb. d. Pharmacodynamik. Vol. II. p. 468.

v) Sundelin Handb. d. sp. Heilmittell. Berlin, 1825. Vol. I. p. 276.

§. 55.

In Febribus simplicibus inflammatoriis, catarrhalibus et rheumaticis, praecipue ineuntibus, Tartari stibiati refractae doses (gr$\frac{1}{16}$ — $\frac{1}{2}$) testibus I. Huxham *w*) et I. Frank *x*) inserviunt ad augendam adjuvandamque superficiei externae et internae secretionem, conjungendae cum remediis indicatis debilitantibus, refrigerantibus, v. g. Salibus aceticis et tartaricis, si indoles morbi magis sthenica sit; cum infusis vero leviter irritantibus, aethereo-oleosis, si sthenia deficiat. Et transpirationi subvenit his in morbis, et statum debellat gastricum, saepenumero iis supervenientem. Vitandus est, si in Febribus rheumaticis nimis copiosus sudor ejus usu elicitur. In Rheumatismis acutis, utplurimum ex cutis functione laesa pendentibus, exiguae doses haud minore excellunt efficacia, saepeque impediunt, quominus ad organa nobiliora interna fiant metastases. Laennec, Kapeler et Fialkowsky *y*) his in morbis magnas Tartari stibiati exhibent doses.

§. 56.

In Febribus gastricis parvae portiones Tartari stibiati, ad sordes primarum viarum movendas,

---

w) Sammlung medicin. Schriften. A. d. Engl. Bremen. 1769. p. 405. ff.

x) Prax. univers. medic. praecept. L. I. p. 271.

y) Wolff in Warschau: Bestätigter Nutzen des Brechweinsteins bei entzündlichen Brustaffectionen. Hufelands Journal. 1828. März p. 51.

dein, aucto turgore, vel per os, vel per anum excernendas, optimo cum fructu operantur. Hunc in scopum Vir Clariss. P. Frank pulverem resolventem ex gr. $\frac{1}{6}$ Tartari stibiati et Cremoris Tartari ℈ij admodum laudat. Multi medici Tartarum stibiatum non, nisi certissima adsint gastricismi signa, in usum vocari jubent, quibus vero Ill. Vogt *z*) refragatur. Febres enim, ait, minime gastrica ortas causa, saepissime ad crisin per auctas abnormesque canalis intestinalis secretiones vergere, quibus ergo in casibus Tartarus stibiatus, ob efficaciam in tubum intestinalem ceteraque organa secretoria, remedium sistat princeps. Cum successu non minus prospero propinatur contra affectiones, tardiori superficiei internae secretione ortas, ad statum gastricum excitandum.

Tartarus stibiatus hac in febrium classi modo solus, modo cum aliis porrigitur medicamentis, naturae symptomatibusque morbi consentaneis, v. c. cum Ammonio muriatico, Liquore Ammonii acetici, Kali nitrico, acetico, citrico, Pulpa Tamarindorum, rel. Usum ejus prae ceteris flagitant lingua sicca, muco crasso obtecta, anorexia, sapor mucosus, fatuus, sensus oppletionis nec non oppressionis praecordiorum, transpiratio cutis vel exigua, vel fugax, viribus integris, aut vigente debilitate spuria. *a*)

---

z) l. c. Vol. II. p. 470.

a) Sundelin Handb. d. sp. Heilmitteń. Berl. 1825 Vol. I. p. 272.

Contra Febres verminosas et pituitosas Ill. Sundelin *b*) parvas doses Tartari stibiati, aliis additas remediis solventibus, irritantibusve, ut Ammonio muriatico, Arnicae, Senegae etc. maxime commendat.

§. 57.

In Febribus biliosis, praecipue in prioribus earum stadiis, judice Viro Clariss. Richter, *c*) parvae doses remedii nostri, aliis idoneis conjunctae remediis, insignem praestant utilitatem, quia spasticam tollunt constrictionem, quominus bilis in hepate accumulata excernatur, impedientem.

Contra Febres putridas, etsi rarius, Tartarus stibiatus tum in usum vocatur, cum natura conamina prodit, ad tubum intestinalem materias deponendi. Conjunguntur parvae ejus doses cum Cremore Tartari, Pulpa Tamarindorum, Oxymelle etc.

§. 58.

In Febribus nervosis multi medici parvas Tartari stibiati propinant doses, imprimis si cum statu gastrico sint complicatae, quod saepe locum habere, ubi Febres gastricae in nervosas abierint, cuique notum est. Exhibitis jamjam emeticis, sordes, si tamen intestinis inhaereant, Ill. P. Frank *d*)

---

b) Ibidem Vol. I. p. 273.

c) Specielle Therapie. Berlin. Vol. p. 342.

d) Epitome, de curandis hominum morbis. Manhem. L. I. p. 174.

parvis Tartari stibiati dosibus tolli asserit, quum a fortioribus evacuantibus propter virium prostrationem abstinendum sit. Indoles febris si magis asthenica est, Tartarus stibiatus cum incitantibus remediis, v. g. cum Valerianae, Angelicae, Arnicae infuso, conjungitur. *e*) Ast etiam in Febrium simplicium nervosarum exordio Vir Experientiss. Thilenius *f*) Tartari stibiati parvas doses utilissimas comperit. Solvit gr. iij. Tart. stib. ℥iß, solutionisque alternis horis gtt. 60 sumi jussit. Idem ad crisin promovendam alia in epidemia cochlear majus solutionis grj Tartari stibiati in ℥viij singulis horis porrexit. *g*)

§. 59.

In Febribus exanthematicis, imprimis indole catarrhali conspicuis, uti Scarlatina, Rubeolis, Morbillis, Tartarus stibiatus praecipue a Viro Experient. Ellissen *h*) commendatur, qui nullum aliud sibi notum esse dicit remedium, quod totum organismum infantilem validius afficiat, medicamine no-

---

e) Sundelin l. c. T. I. p. 273.

f) Beschreibung epidem. Nervenfieber. Hufelands Journ. 1812. Decemb. p. 43.

g) Beobachtungen über das im Winter 18$\frac{1}{1}\frac{3}{4}$ im Rheingau epidemische ansteckende Fieber. Hufelands Journal, 1815. October. p. 25.

h) Ueber die Anwendung des Brechweinsteins in Kinderkrankheiten. Hufelands Journal. 1828. Junius. p. 69.

stro, propter vim, quam exserat in systema gangliorum omniaque organa secretoria. Haec autem in morbis aetatis infantilis, qua vegetatio atque reproductio principem haud dubie tenent locum, maxime sunt respicienda. Tartarum stibiatum in morbis infantum omnino praefert Calomelani, cum minime illius usum effectus nocentes accessorii excipiant, malaeque remaneant sequelae, quas inferat Calomelas. Infantibus teneris, imo adhuc lactentibus, porrigit grß, annos duos ad quatuor natis grj. annos octo ad decem griß: adultioribus grij per diem. Primas doses si vomitus non sequitur, largiorem praebet. Ceterum et alia minime negligenda censet medicamina, prae ceteris, si indicatae sint, detractiones sanguinis locales. Ne exanthemata per effectum Tartari stibiati in cutem turbentur, metuendum non est, quum in eam levissime agat, systemaque arteriosum placide moveat.

Cui sententiae vero ab Ellissen propositae Clar. Vogt *i*) minime adstipulatur, qui, Sulphur auratum multo praestantius his in morbis praebere putat remedium. In simplicissimis tantum casibus, si eruptionis adhuc vigeat stadium, imprimis si protrahatur exanthematis eruptio, et nobiliorum inde timenda sit organorum inflammatio, aeque ac in stadio desquamationis, si cum morbis secundariis retentione effectis, v. c. cum Hydrope, affectionibus membranarum mucosarum internarum etc. turgor,

---

i) l. c. Vol. II. p. 469.

vel irritatio inflammatoria, vel febris conjungatur, Tartari stibiati concedit usum. Neque non exanthemate suppresso, nataque inde inflammatione interna, laudat eum cum Calomelane conjunctum.

In exanthematibus gastricis, e. c. Erysipelate vero exanthematico, praemissis evacuantibus, parvae Tartari stibiati portiunculae non minus utiles sese praestiterunt.

§. 60.

In Febribus intermittentibus; inter immensam fere remediorum farraginem, quae hunc contra morbum saepe pertinacissimum commendata sunt, Tartarus stibiatus haud infimum tenet locum. Quamvis doses emesin cientes adhibeantur, non raro tamen parvae ejus portiones, ad fugandas Febrium intermittentium causas et sequelas, praestant utilitatem. Potissimum ineuntibus hujus generis febribus, quae ex vitiis gastricis, nominatim e perversa organorum abdominalium secretione, ex causa rheumatica, ex metastasibus psoricis, petunt originem, iisque aluntur, nec non febribus per longum protractis temporis spatium, cute sicca consociatis, statu bilioso vel pituitoso, stagnationibus etc. jam excultis, medici parvis utuntur Tartari stibiati dosibus, junctis cum salibus resolventibus, Gummiresinis, Extractis et Tonicis. Non solum efficaciae in tubum intestinalem secretionesque omnes, sed etiam virtuti insigni, in nervos splanchnicos agendi, Tartarus stib. teste Cl. Vogt *k*) magna ex parte vim febrifugam debet.

---

k) Lehrb. d. Pharmacodynamik. Vol. II. p. 450.

III. Richter *l*) saepe etiam Quartanas pertinaces, dimidium annum, et quod excurrit, protractas, parvis portiunculis Tartari stibiati, per quatuordecim dies propinatis, se fugasse, narrat. R. M. Cousland *m*) Niagarae in Canada multas Febres intermittentes parvis Tartari stibiati dosibus, cum Cortex Peruvianus deficeret, feliciter sanatas esse tradit. Exhibuit nempe aegris per singulos dies grj. Tartari stibiati, cum Syrupo et Electuario lenitivo in pilulas redactum, quarum usu diebus sex elapsis homines in integrum restitutos esse, affirmat. Ceterum rarius febrem observavit recidivam post Tartari stibiati, quam post Chinae usum. Labonardiere *n*) contra Febrem intermittentem soporosam Tartarum stibiatum, largae Coffeae portioni adjunctum, in usum vocavit.

§. 61.

Superest, ut methodum Febres intermittentes curandi a Peysson *o*) propositam describam; qui

---

l) Med. und Chir. Bemerkungen. p. 136.

m) Sammlung auserlesener Abhandlungen zum Gebrauch für Aerzte. Vol. II. p. 245.

n) Observations sur une fièvre ataxique soporeuse, à type intermittent et subintrante, contre laquelle le café à fort dose a paru être utile, reuni au tártrite antimoiné de potasse, et sur quelques autres moyens auxiliaires du quinquina. Sedillot Rec. Period. de la Soc. de Medec. a Par. T. xxxiv p. 241.

o) Nouveau Journ. de Medec. Juin 1822; Journ. de Medec. milit; Cf. Magazin f. d. ausländ. Litteratur von Gerson und Julius. 1822. T. IV. p. 355; Valez ibidem. 1823. August. p. 152.

hacce utitur compositione (Potion febrifuge stibio-opiacée:)

℞ Tart. stib. pr. j

Solve in

Aq. destillat. ℥viij

Adde

Syr. Diacod. ℥j

Aq. fl. Naph. aa ℥ß

Misce.

Inter paroxysmos et vigiliam prima hora porrigit cochlear majus unum; secunda duo; tertia tres, et sic gradatim usque ad coenam. Duabus horis a coena elapsis, iterum ab uno cochleari orditur. Dosis etiam, si augere eam nolis, brevioribus interstitiis propinari potest, postremo quater per horam. Hoc modo adhibitus Tartarus stibiatus citius tutiusque agere dicitur, quam China. Ill. Vogt *p*), leviores tantum Quartanas et Tertianas isto remedio sanari posse, nil autem valere contra pertinaces et inveteratas, putat. Virey *q*) Tartarum stibiatum cum Theriaca conjunctum pro valido habet Febrifugo.

§. 62.

In Inflammationibus, organorum imprimis superficialium atque membranaceorum, nec non sub

---

p) l. c. Vol. II. p. 469.

q) Bulletin de pharmac. 1813. V. p. 12; Journal de pharmac. VIII. p. 251.

finem inflammationis penitioris organorum nobiliorum, si natura crisin per alvum et cutem, simulque morbosorum secretorum perficere conatur resorptionem, parvae Tartari stibiati portiones, ad hoc conamen salutare naturae juvandum, jam a majoribus sunt porrectae. Recentiori vero tempore passim magnae remedii nostri doses his in morbis adhibentur, quod fusius infra cum Pneumoniae curatione exponam.

Ad singulas transiturus inflammationes, qualem Tartarus stib. in his praestet usum, accuratius explanabo.

§. 63.

In Hydrocephalo acuto, praemissis debitis sanguinis detractionibus localibus, Tartari parva dosis, cum Calomelane, secundum praeceptum Viri Inclyti Richter, propter virtutem resorptionem et secretiones omnes augendi, tubumque intestinalem valide incitandi, saepe aegrotorum vitam tuetur.

§. 64.

Contra Anginam membranaceam Vir Experient. Maerker *r*) parvas Tartari stibiati doses, cum Oxymelle squillitico conjunctas, comperit saluberrimas, nisi jam asthenia irruisset permagna. Diarrhoeam vero, ait, ineuntem hujus compositionis ve-

---

r) Geschichte einer epidem. Bräune. Hufelands Journal. 1804. St. III.

tare usum. Haud minus Ellissen *s*), prosperrimos, affirmat, hoc in morbo tam pernicioso sese observasse effectus minorum Tartari stibiati dosium, at nunquam non earum usum cum debitis sanguinis detractionibus localibus, Calomelane, infrictionibus, vesicantibus etc. conjungendum se curasse. Thümmel *t*), Kapeler et Laennec methodo Peschieriana pluries Anginam membranaceam viderunt debellatam.

§. 65.

Tartari stibiati usum in Pneumonia et Pleuritide minime Viro Clariss. Peschier primo, sed majoribus jamjam satis innotuisse, nemo negabit. Methodum quoque a Peschier propositam, Tartari stibiati magnas adhibendi doses non plane novam esse, ut Vir Experient. Cohnstein *u*) contendit, persuasum habeo, cum Perill. Hufeland *v*) egregie probaverit contrarium. Rasori enim Tartari stibiati ℈j—ʒj per diem contra morbos inflammatorios pulmonum laudavit, imo per graviorum Pneumoniarum decursum uncias plures porrexit, effectus ejus salutares secundum suam theoriam ex Contrastimulo pro-

---

s) Ueber die Anwendung des Brechweinsteins in Kinderkrankheiten. Hufelands Journal. 1823. Junius, p. 69.

t) Ueber die Anwendung des Brechweinsteins in grosser Dosis bei Pneumonie, dem Croup, und dem Delirium tremens. Rust's Magazin. Vol. XXXIV. Heft 2. p. 264.

u) Dissert. inaug. exhibens emeticorum parva in dosi adhibitorum virtutes. Vratisl. 1825. p. 15. annot.

v) Journal der pr. Arzneikunde. 1823. März.

dire, arbitrans, quem exserat Tartarus stibiatus, et quo mediante tollat inflammationem. Idem professus est sententiam, Tartarum stibiatum, hoc modo adhibitum, sanguinis detractiones, nisi ex toto, maxima saltem ex parte, supervacuas reddere; observatione quoque se edoctum dicit, magnas ejus doses plerumque sine vomitu et diarrhoea ferri ab aegrotis, lysinque salubrem producere sine phaenomenis eminentibus. Celeberr. Huxham Vinum Antimonii aliaque Stibii praeparata contra inflammatorias pectoris affectiones usque ad nauseam propinari jussit. Clariss. Richter in Pneumonia hanc pro arcano commendavit formulam:

℞. Tart. emet. gr. iij
Nitri depurat. ʒij
Infus. fl. Sambuci ℥ix
Mell. pur. ℥iij

M. d. s. Singulis horis, sin vomitus exoriatur, alternis cochlearia duo majora sumantur.

Praeterea venaesectionem, vel localem sanguinis detractionem, si opus sit, minime negligendas esse censuit, quibus institutis, morbum dicti remedii virtute mox ad faustum exitum perduci, asserit. Eandem sententiam Cullen w) profitetur, nec non Ill. P. Frank, qui tamen Tartarum stibiatum, etsi utilis-

---

w) Anfangsgründe der pr. Arzneikunde. A. d. Engl. Leipzig 1789. Vol. 1. §. 187.

simum in ultimis Pneumoniae stadiis, nihilominus in prioribus plurimum nocere, putat *x*).

§. 66.

Sermonem nunc faciam necesse est de methodo a Clariss. Peschier, medico Genevensi, tradita, quae a supra dictis Tartarum stibiatum adhibendi modis ita tantum discrepat, ut doses gr. ß, et majores, usque ad vomitum porrigantur, nec nunquam administretur venaesectio, quam medici supra nominati, si indicatam putarent, non praetermittendam censuerunt.

Indicationes, quibus praecipue Peschier ad Tartari stibiati usum in Peripneumonia et Pleuritide compellebatur, hasce edit *y*): primas voluit purgare vias, circulationem sanguinis per vasa abdominalia promovere, et hoc modo vasorum pectoris plethoram relativam, simul ergo affectiones morbosas organorum respirationis, diminuere; digestione porro per tempus aliquod inhibita, chylificationis sanguificationisque processum interpellare, denique, impetu in oeconomiam animalem facto, irritamenti morbosi efficere derivationem.

§. 67.

Hunc in finem Tartari stibiati gr. vj — xij — xv

---

x) Epitome de curandis hominum morbis. Manhem. L. II. p. 164.

y) Bibliothéque universelle. Genève 1822. Juin; Cf. Brief an den Professor Pictet. Hufelands Journal. 1822. October. p. 49.

℥vj solvit, solutionisque binis horis propinat cochlear majus. Quo cum medicamento aliud conjungit alvum laxans. Si ad sudorem aeger vergit, Aetherem aceticum, vel muriaticum, si agrypnia et angor vexant, Tincturae Opii ʒj—ij, si cutis sicca et ardens, renum secretione impedita est, Nitri addit ʒj—ij. Raro vesicans, nunquam autem venae sectionem administrat. Cochleari secundo vel tertio sumto, utplurimum vomitus, postea vero alvi tantum exoritur dejectio, aegrique magnum sentiunt levamen; omisso autem per tres vel quatuor horas medicaminis usu, iterum crescunt molestiae. Nonnunquam ex toto perspicuus desideratur effectus et nihilominus contingit sanatio. Peschier aegrotis admodum infirmis per horas viginti quatuor Tartari stibiati tantum propinavit gr. j—iß, ast hujus dosis tardissimum et fructu carentem semper sese observasse, ait, effectum. Hyperemesin, vel hypercatharsin ex magna dosi Tartari stibiati Peschier, pariter ac Wolff z), nunquam observavit.

§. 68.

Multa hac de medendi ratione a medicis in utramque partem disputata scriptaque sunt. Plurimos in Gallia, multos etiam in Germania obtinuit sectatores, quorum e numero praecipue afferam Vi-

---

z) Bestätigter Nutzen des Brechweinsteins bei entzündlichen Brustaffectionen. Hufelands Journal. 1823. März. p. 42.

ros Clariss. Wolff, Varsoviensem *a*), Suffert, Wesener *b*), Wormes, Albers, Tortual *c*), Kapeler, Laennec, Teallier.

Teallier *d*) rationem, quam sequitur, Tartarum stibiatum adhibendi, latius exposuit. Perinde ac Laennec gr. vj—xij Tartari stibiati solvit ℥jv—vj infusi alicujus aromatici, solutionique addit Syrupi Altheae ℥j, vel pro gradu sensibilitatis ventriculi ℥ß Syr. Diacod. Cujus mixturae binis horis, vel, si singula cochlearia sequitur vomitus, ternis horis cochlear majus sumendum imperat. Vomituritiones si adsunt, primis dosibus potum adjungi vetat, deficientibus illis, cucullum ptisanae tepidae largitur. Vociferatio, motus, incitamenta omnia, sunt vitanda. Horis viginti quatuor, vel triginta sex elapsis, plerumque conditio evadit laetior, imo dyspnoea, aegrum valde infestans, saepe primis dosibus assumtis evanescit, aeger euphoria et quiete, nec non somno reficitur, sputa non amplius ejiciuntur cruenta, cutis, antea calida et sicca, paullatim blande transpirare in-

---

a) Ibidem.

b) Erfahrungen über Brechweinstein in grofsen Dosen gegen entzündliche Brustleiden. Hufelands Journal. 1824. Mai. p. 72.

c) Nutzen des Tartarus stibiatus bei entzündlichen Brustaffectionen. Hufelands Journal. 1823. December. p. 66.

d) Journal de Médecine. 1830. Avril. Cf. Thümmel. Ueber die Anwendung des Brechweinsteins in grofser Dosis bei Pneumonien, dem Croup und dem Delirium tremens. Rust's Magazin. Vol. XXXIV. Heft 2.

cipit, appetitus ciborum, initio deficiens, mox revertitur. Ceterum Teallier diaeta strenua non opus esse, putat. Obstipationem alvi, post dies aliquot intrantem, clysmatibus et levioribus tollit laxantibus refrigerantibus. Dòsis Tartari stibiati ad sensibilitatem ventriculi morbique pertinaciam, nec non ad excretionum numerum majorem vel minorem est accommodanda. Quas licet Teallier noxias magis quam utiles existimet habendas, tamen eam ob causam a medicamenti usu continuato minime abstinet. Imo si sensationes dolorificae regionis epigastricae sequantur excretiones per os et per anum, tamen Tartari stibiati usum non suspendit, illas minime a Tartari stibiati vi corrodente, sed a contractionibus tantum fibrarum muscularium organorum digestionis nimis validis atque crebris pendere opinans; quam pulsu magis lentescente probari dicit opinionem, quum, si Tartarus stibiatus ageret corrodendo, motus febriles exasperarentur. Tum demum, cum aegroti maxime respuant medicamen, quod saepius sub finem morbi evenire solet, Tartari stibiati usum suspendit. Sanguinis detractiones plane rejicit.

§. 69.

Multi tamen medici, iique celeberrimi et experientissimi; etsi Tartari stibiati in affectionibus inflammatoriis pectoris agnoscant usum, eatenus rem dirimunt, ut applicatione hirudinum, et venaesectione ipsa, si opus sit, nullo modo his in morbis carere posse medicum, contendant, quorum ex numero Viros Illustriss. Hufeland, Osann, Thümmel, Ellis-

sen, Brosius, Basedow afferam. Perill. Hufeland *e*), magnas Tartari stibiati doses, praemissa venaesectione, fructum praestare, ait, in Pneumoniae gastricae, gastrico-rheumaticae et biliosae stadio primo, nec non in stadio secundo Pneumoniae mere sthenicae, quippe quae stagnationibus resolvendis, diathesi inflammatoriae, nondum fractae, plane restinguendae, secretionibusque criticis per cutem urinam, alvum et sputa promovendis, egregie inserviant. Optime hac cum sententia congruunt observationes Viri Ill. Osann *f*), nec non patris mei carissimi. Wesener *g*), et nuperrime Ill. Osann *h*), in Pneumoniis gravioribus cum Tartaro stibiato Aquam Laurocerasi concentratam conjunxerunt. Wesener alternis horis porrigit cochlear maius. Dosis secunda vel tertia vomitum movet; si quartam et quintam iterum sequatur vomitus, vel diarrhoea aquosa nimia, medicamentum omitti jubet. Thümmel *i*) in Pleu-

---

e) Hufeland und Osann. Eilfter Jahresbericht d. Königl. Policlin. Instituts der Universität zu Berlin. Hufelands Journal. 1823. December.

f) Hufelands Journal. 1824. Januar. p. 103.

g) Erfahrungen über den Brechweinstein in grofsen Dosen gegen entzündliche Brustleiden. Hufelands Journal. 1824. Mai. p. 72.

h) Dreizehnter Jahresbericht d. Königl. Policlin. Instituts der Universität zu Berlin. Hufelands Journal. 1830. Supplementheft.

i) Ueber die Anwendung des Brechweinsteins in grosser Dosis bei Pneumonieen, dem Croup, und dem Delirium tremens. Rust's Magazin. Vol. XXXIV. Heft 2.

roperipneumonia magnas Tartari stibiati portiones admodum laudat, praemissis sanguinis detractionibus localibus, imprimis, si morbus ad exsudationes vergat. Nervosum si obtineat characterem, adjungit Sinapismos.

§. 70.

Indicationes ad usum largiorum Tartari stibiati dosium in dictis morbis Brosius *k*), me judice, egregie exposuit atque dilucidavit. Hic enim usum ejus indicari dicit, si venaesectionis instituendae indicatio appareat dubia, v. g. in senibus, infantibus tenellis, affectione locali minus vehementi, febri modica; porro, si dubium videatur, an repetenda sit venaesectio; si dolores pungentes pectoris adsint sine febri; si character morbi fiat rheumaticus; denique, si affectio localis venaesectionem admittat, vel jubeat, aetas vero, vires et constitutio aegri effectum reddant incertum, aut vice versa, si vires, pulsus etc. jubeant, vel certe permittant venaesectionem, affectio vero localis eam reddat supervacaneam. Ceterum Brosius Tartaro stibiato semper addit Nitrum, quod Peschier tantum cute sicca et strangurie vigente necessarium putat.

Basedow *l*) praecipue in Pneumonia admodum provecta et biliosa, si venaesectionis ambiguus sit

---

k) Der Brechweinstein in grofsen Gaben in entzündlichen Brustaffectionen. Hufelands Journal. 1827. Julius. p. 70.

l) Hufelands Journal. 1828. Julius. p. 65.

tusus, Tartarum commendat stibiatum. Lingua autem si reperiatur munda, glabra, ruberrima, eum dissuadet, observatis semel in tali casu pustulis numerosis, os faucesque totas obsidentibus, eamque ob causam dolore vehementi, nec non dysphagia, Tartari stibiati usu inductis.

Rhode *m*) et Klaatsch *n*), nec non Dance *o*), methodum Peschierianam rejiciunt, quippe quam nunquam laetum eventum sibi praebuisse, affirment. Thümmel autem commonstrat, successum infaustum experimentorum a Dance institutorum dosi nimis exiguae Tartari stibiati (gr. vj—xv ad Libr. j—ij Aq.) deberi. Viri etiam Ill. Vogt *p*) et Sundelin *q*) non multum methodo Peschierianae tribuunt laudis, quia magnas Tartari stibiati doses, effectus inimici causa, quem saepissime exserant in tubum intestinalem, semper timendas esse judicant.

§. 71

Quo autem modo in Pneumonia agat remedium nostrum, nondum liquet. Rasori, Contrastimuli theoriae addictus, efficaciam Tartari stibiati, ut jam supra dixi, in ejus virtute, irritationem contrariam excitandi, collocat, corporisque eum ferendi faculta-

---

m) Rust's Magazin Vol. XVI. p. 429.

n) Horn's Archiv. 1823. December.

o) Archiv de Médecine. 1829. Avril. Mai.

p) Lehrb. d. Pharmacodynamik. Vol. II. p. 471.

q) Handb. d. sp. Arzneimittellehre. Vol. I. p. 274.

tem intime conspirare putat cum morbo et diathesi *r*). Methodi derivantis asseclae vim Tartari stibiati ponunt in ejus virtute derivante; non meditantur autem, Tartarum stibiatum multo salubrius agere, si neque vomitum neque diarrhoeam cieat copiosam, dosinque morbi pertinacis causa auctam virtute emetica, nec non cathartica, turbare atque interpellare resolutionem jamjam ingressam *s*). His in angustiis, ad hodiernum usque diem luce sufficiente nondum illustratis, Scallier provocat ad effectus tot remediorum, imprimis narcoticorum, secundum dosium variantes magnitudinem, quorum haud magis innotuerint causae *t*).

Neminem in ultimo Pneumoniae stadio praestantiam Tartari stibiati negaturum puto, cum medici celeberrimi, transpirationem augendo expectorationemque promovendo eum prodesse, consentiant, quorum e numero Viros Ill. Stoll *u*), P. Frank *v*) et Cullen *w*) nominásse sufficiat.

---

r) Cf. Thümmel. l. c. p. 280.

s) Cf. Thümmel. l. c. p. 231.

t) Journal de Médecine. 1830. Avril. Cf. Thümmel. l. c.

u) Ratio medendi. Vol. III. p. 36.

v) Epitome de curandis hominum morbis. Manhem. Vol. II. p. 164.

w) Anfangsgründe d. pr. Arzneikunde. A. d. Engl. Leipzig 1789. Vol. I. §. 372.

§. 72.

Contra Choleram asiaticam, quae superiori anno hancce devastabat urbem, Ill. Reich *x*) usum Tartari stibiati praestantissimum expertus est. Naturam ipsam, ait, indicare viam, in curando hocce morbo eligendam, cum vomitu nec non alvi dejectionibus sordes tubi cibarii expellere conetur. Praeterea Tartari stibiati vis resolvens, demulcens, diaphoretica et diuretica non minus hujus medicamenti usum in Cholera probat. Ceterum Reich hoc in morbo majores Tartari stibiati doses minoribus praefert, et gr. viij, imo quandoque ℈j, Tartari stibiati ℥viij Aquae solvi, usumque continuari jubet, donec appetitus ciborum alvique excretio ad normam redierint. Non minus salutarem vim Tartaro stibiato tribuit ad prodromos Cholerae fugandos, quippe qui haud raro impediat, quominus exquisitus evadat morbus.

§. 73.

Contra chronicas pectoris affectiones Tartarus stibiatus a multis laudatur medicis. In Catarrhis pulmonum chronicis cum charactere asthenico Ill. Hecker ejus commendat usum, cui autem Viri Clariss. Vogt *y*) et Sundelin *z*) non suffragantur, Sulphur auratum Kèrmesque minerale his in morbis praeferentes. Attamen iis in casibus, quibus maxi-

---

x) Die Cholera in Berlin. Berlin 1831.

y) l. c. Vol. II. p. 471.

z) l. c. Vol. I. p. 275.

mus adsit torpor, itaque medicamento promto et valido egeat medicus, v. c. in Pneumonia notha, Catarrho suffocativo, etc. Tartari stibiati agnoscunt praestantiam. In Phthisi pulmonum, refrigerium ingens subito secuta, Urban *a*) prospero remedium nostrum adhibuit cum successu. Conjungitur his in morbis cum medicaminibus solventibus, amaris, tonicis, balsamicis, acribus.

§. 74.

Contra affectiones rheumaticas atque arthriticas inveteratas cutis, nec non artuum, Tartarus stibiatus maximo cum fructu, junctus cum Camphora, Aconito, etc. in usum vocatur. Ill. Sundelin *b*) solutionem Extracti Aconiti in Vino stibiato prae ceteris laudat.

§. 75.

Variae Hydropis species remedii nostri expostulant usum. Non solum in Hydrope, imprimis Anasarca, Exanthematibus acutis v. g. Scarlatina, Morbillis, Rubeolis, recens inducto, verum quoque in Hydrocephalo, Hydrothorace et Ascite, consociatis cum stagnationibus et infarctibus chronicis, Tartarus stibiatus, salibus resolventibus atque diureticis, Digitali, Squillae, Gummiresinis, Extractis amaris etc.

---

a) Beobachtungen und Erfahrungen aus dem Gebiet d. pr. Heilkunde. Hufelands Journal. 1830. November. p. 75.

b) l. c. Vol. I. p. 275.

additus, praeclara gaudet efficacia, et inter omnia Antimonialia in morbis hydropicis, illorum expostulantibus usum, quum validius his excitet resorptionem internam, nec non urinae secretionem, teneret principatum, nisi fugaciores essent ejus effectus *c*).

§. 76.

Ad Infarctus et Stagnationes systematis lymphatici, nec non organorum abdominis, discutienda, medici maximo cum fructu utuntur Tartaro stibiato. Imprimis stagnationibus humorum in hepate, in systemate venae portarum et in omnibus organis glandulosis abdominis; impeditae vel anomalae hepatis atque membranae mucosae intestinorum secretioni; physconiis et indurationibus hepatis, lienis, aliorumque systematis chylopoëtici viscerum; atrophiae, nec non scrophulosi, praecipue Phthisi scrophulosae, egregie Tartarus stibiatus medetur. Attamen Metternich *d*) in morbo ultimo loco posito a majoribus, ait, abstinendum esse dosibus, quippe quibus inflammatio et ulceratio facile concitentur. Ill. Vogt *e*) diligentissime vim ejus digestioni inimicam respici, aliisque medicaminibus ad normalem statum redigi jubet secretiones, si Tartari stibiati usu expeditiores redditae sint.

---

c) Vogt, Handb. d. Pharmacodynamik. Vol. II. p. 471.

d) Von dem Schaden der Brechmittel in der Lungensucht. Mainz. 1792.

e) l. c. Vol. II. p. 472.

§. 77.

Ad externarum quoque glandularum tumores, inflammationem secutos, resolvendos applicatio externa Tartari stibiati frugifera est, licet Ill. Vogt *f*) ejus utilitatem his dubitet in casibus, ceteraque Antimonialia, nec non Calomelas, praeferat. Adhibetur imprimis contra tumores scrophulosos glandularum externarum, nec non salivalium, contra Bubones, praecipue rheumaticos, Strumam etc. Contra indurationes, Orchitide vel Epididymitide inductas, Virum Ill. Rust in praelectionibus curationem nauseantem, de qua postea plura dicam, saepius laudantem audivi, interpositis emeticis, Ammonio muriatico, nec non infrictionibus Unguenti hydrarg. cinerei, Liquoris Ammonii caustici, Emplastro mercuriali etc. Idem censuit Swediaur *g*).

Fungum articuli parvis Tartari stibiati dosibus et Emplastro ex Gummi Ammoniaco plane sese fugasse, Inclyt. Richter *h*) refert.

Contra dolores ossium syphiliticos et Ophthalmiam syphiliticam Schaeffer *i*) parcas adhibuit Tartari stibiati doses cum Opio et Calomelane.

§. 78.

Abortus ex sthenia nimia si metuendus sit,

---

f) Ibidem.

g) Traité complet sur les symptomes etc. des maladies syphilitiques. Paris 1811.

h) Medic. und Chirurg. Bemerkungen. p. 314.

i) Hufelands Journal. 1812. October. p. 84.

Burns *k*) ad diminuendam organorum digestionis actionem et sanguificationem, vespere gr. $\frac{1}{8}$ Tartari stibiati cum gr. β Digitalis porrigit.

§. 79.

In mentis morborum curatione omnium medicamentorum internorum Tartarus stibiatus fere principem locum merito tenet, quem ei, ut supra memoravi, jam Mynsicht adsignavit, assentientibus recentiore tempore Viris Ill. Hufeland, Horn, Voſs *l*), Beust *m*), Müller Herbipoli *n*), multisque aliis. Multiplici modo his in morbis salutarem exserit vim, incitamentum contrarium, derivans, procreando, torporem canalis intestinalis atque cutis tollendo; plurimum autem ejus virtuti debetur, sensibilitatem valido et ingrato stimulo afficiendi, nauseamque ciendi, qua aegroti excitatur et occupatur attentio, submoventur nervorum tensio et inquies spastica *o*). In Mania furibunda non solum, sed

k) Observation on Abortion containing an account of manner in which et is accomplished, the causes which produced it, an the method of preventing or treating it. Lond. 1806. p. 139; Cf. Ueber die Fortschritte der Medicin in England in dem Jahr 1806. (Med. and physic. Journal. 1807. July.) Uebers. von Mühry. Hufelands Journal. 1810. Mai. p. 39.

l) Hufelands Journal. 1798. St. IV. p. 182.

m) Ibidem. 1815. August. p. 131.

n) Nasse. Zeitschrift für Anthropologie. 1823.

o) Voss l. c.

etiam in Melancholia, Amentia et Nostalgia, Tartarus stibiatus, nauseam perpetuam sustinendo, prosperrime saepe operatur, quem in scopum Clariss. Vogt *p*) solutionem Tartari stibiati cum Extracto Fumariae et Aceto squillitico praescribit, et a dosi gr. $\frac{1}{8}$—$\frac{1}{4}$ ordiens, sensim eam auget, donec optatus obtineatur effectus. Tum minores doses majora per interstitia exhibentur, eaedemque rursus augentur, si nausea desinat, minuuntur vero, si ad vomitum aeger vergat. Ill. Horn, quanquam hancce curandi rationem magnis effert laudibus, tamen sensibilitate magna atque Hysteria ejus usum vetari contendit. Idem nimis longam hujus methodi vituperat continuationem.

§. 80.

In Mania magis chronica, aeque ac in Melancholia, cum pertinaci alvi obstipatione et organorum abdominis conjuncta infarctibus, Tartarus stibiatus Aquae Laurocerasi, Digitali, Kali tartarico, Belladonnae, Salibus resolventibus aliisque aptissime adjungitur. Saepe his in morbis, testibus Mose Bartram, *q*) R. Buchhave *r*) et Wesener, *s*)

---

p) l. c. Vol. II. p. 473.

q) Medical facts and observations; (an insanity from datura stramonium cured by a large dose of tartar emetic.) Transact. of the College of Physic of Philadelphia. Vol. I. Part. 1. p. 198.

r) Observationes raro in praxi medica obvenientes; (magna Tartari emetici praebia in mania et melancholia) Acta Reg. Soc. Med. Havniensis. Vol. II. p. 404.

s) Hufelands Journal. 1828. Januar. p. 76.

permagnis opus est dosibus, quam ob causam Ill. Sundelin *t*) maximam commendat cautionem, ne oriatur veneficium antimoniale, siquidem ejusmodi aegrotis raro superveniat vomitus. Salivationem, inter administrationem Tartari stibiati accedentem, Clariss. Baldinger *u*) boni ominis habendam existimat.

§. 81.

Contra morbos nervorum chronicos Hirschel et Wichmann imprimis Tartari stibiati defendunt praestantiam, eamque his in morbis curandis haud minoris existimant, quam Zinci praeparatorum. Prae ceteris autem Tartarus stibiatus secundum Celeberr. Richter *v*) perversis nervorum actionibus, ex cerebro originem ducentibus, opem fert, nec non Epilepsiae vehementi, cerebri vitiis ortum debenti, cute semper sicca conjunctae. Non minus salutarem contra Epilepsiam, psoricis, herpeticis aliisque inductam metastasibus, exserit effectum. Goodwin et Brera *w*) majorum medicamenti nostri dosium, in Sthenocardia administratarum, laetissimum observarunt usum. Ad Delirii trementis curationem Exper. Thümmel *x*) gr. viij Tartari stibiati, ℥viij

---

t) l. c. Vol. I. p. 276.

u) Neues Magazin etc. Vol. VIII. p. 908.

v) Sp. Therapie. Vol. VIII. p. 118. ff.

w) Ueber die Sthenocardia. Hufelands Journal. 1818. April. p. 41.

x) Ueber die Anwendung des Brechweinsteins in gros-

Infusi Rad. Valerianae fortioris, vel aliis soluta nervinis commendat, cujus solutionis alternis horis porrigit cochlear majus. Plerumque primum vomitus, postea crebrae incidebant alvi dejectiones. Organa gastrica purgandi, et systema nervorum demulcendi necessitate ad hujus remedii usum deductus est. In spastico Tussis convulsivae stadio, teste Viro Perill. Hufeland, *y*) nil valet, sed in catarrhali tantum stadio prodest.

§. 82.

In morbis paralyticis, praecipue Apoplexiam secutis, Tartarus stibiatus ad potiora pertinet auxilia, *z*) nec non in iis, qui cum abnormitatibus organorum abdominalium commercium alunt, quibus in morbis exiguae ejus portiones aptissime cum Arnica, Senega, Gratiola, Pulsatilla, et aliis conjunguntur. Quam maxime contra Cophosin, et Amaurosis varias species, gastricam scilicet, paralyticam et metastaticam, a Clariss. Schmucker *a*) commendatur. Cohnstein *b*) ex ejus connubio cum Arnica, secun-

---

ser Dosis bei Pneumonieen, dem Croup, und dem Delirium tremens. Rust's Magazin. Vol. XXXIV. Hft. 2.

y) Bemerkungen über die Blattern. Berlin. 1798. p. 426. et 444.

z) J. Frank. Prax. med.

a) Vermischte chirurg. Schriften. Vol. II. p. 15. ff.

b) Dissert. inaugur. exhibens emeticorum parva in dosi adhibitorum virtutes. Vratisl. 1825. p. 31.

dum Viri Ill. Beer *c)* praecepta in amaurosi adhibendo, felicissimum sese observasse narrat effectum. In commotione cerebri Tartarus stibiatus a Viris Ill. Desault *d)* et Richter omnibus aliis praestantius remedium et tamquam specificum habetur, quum nervos valide afficiat, hepatis debilitet reactionem, et secretionibus tubi intestinalis, nec non cutis favens, salubrem moliatur derivationem.

§. 83.

De usu emetico Tartari stibiati nonnulla proferam, necesse est. Omissis vero iis, quae de usu Emeticorum in genere praecipienda sunt, eorum tantum, quae de Tartari stibiati solius, tamquam emetici, usu monenda veniunt, mentionem faciam.

Usitatissimum praebet emeticum, si non solum vomitum ciendi, sed etiam alvum laxandi exstat indicatio, et plerumque non minus promtum, quam tutum exserit effectum. Ne hoc utamur emetico, eadem dissuadent, quae usum ejus internum in genere vetant, quibus autem veneficium per caustica metallica addendum est venena, quo exorto, potus copiosus tepidus pluris aestimatur, cum Tartarus stibiatus ventriculi augeat irritationem.

§. 84.

Dosis Tartari stibiati ad emesin efficiendam ae-

---

c) Lehre v. d. Augenkrankheiten. Vol. II. par. 41. ff.

d) Chirurg. Nachlass. A. d. Franz. v. Wardenburg Vol. II. p. 77. ff.

gri aetate constitutioneque variat a gr. $\frac{1}{16}$ ad gr. 4. Torpor maximus nervorum abdominalium si adest, multo majoribus interdum opus est dosibus; Grandidier in Mania granis xxx, Creuzwieber in Commotione Cerebri nonnisi granis xxv. Tartari stibiati obtinuerunt vomitum. Ill. Vogt *e*) tamen his in casibus valde diluendum censet remedium, ne causticam vim exserat in ventriculum. Plerumque cum aliis emeticis, nominatim cum Ipecacuanha et Squilla, conjungitur; quantum aliorum remediorum additur, tantum Tartari stibiati dosi demendum est.

Si mitiorem optamus effectum, Ipecacuanha, sin fortiorem, Tartarus stibiatus solus adhibetur, quare in Angina membranacea, Hydrope, Delirio tremente, veneficiis per narcotica venena inductis etc. summo jure Ipecacuanhae praefertur, ad vomitum provocandum. Ill. Sundelin usum ejus emeticum in Tetano et Trismo, causa rheumatica exorto, utilissimum putat.

§. 85.

Connubium Tartari stibiati cum Amylo eam efficit mutationem, ut Tartari stibiati multo minores doses jam provocent emesin. Ill. Hufeland *f*) peculiarem hujus compositionis agendi rationem mechanico modo interpretandam existimat. Affigitur scilicet per Amylum loco alicui ventriculi, et incitamento

---

e) l. c. p. 473.

f) Hufelands Journal. 1798. St. II. p. 183.

locali intensiori validum exserit effectum. Porro solutio ejus nimis cita per succum gastricum impeditur, visque irritans diutius sustinetur. Perill. Hufeland ergo commendat hoc connubium, si fortem excitare velis effectum. Gr. j Tartari stibiati, cum ℈i Amyli assumtum, sat magna excellit efficacia.

§. 86.

Superest, ut nonnullas emeticorum ex Tartaro stibiato addam formulas. Vulgatissimum emeticum hoc praescribitur.

℞ Rad. Ipecac. pulverat. ℈j
Tart. stib. grj g)

M. d. dimidium. Vomitus si post horam dimidiam haud contingat, alterum sumatur dimidium. Hominibus athleticis, constitutionis robustae, torpidae, Tartarus stibiatus solus exhibeatur in pulvere, quem fortius agere constat. Sequitur formula:

℞ Tart. stib. gr. iij
Tart. depurat. gr. xvij

M. d. duabus vel tribus vicibus sumatur, donec subsequatur effectus. *h*)

Solutio emetica Tartari stibiati haec imperari potest:

---

g) Pulvis Ipecacuanhae cum Tartaro stibiato. Pharmac. milit. boruss. Berolini. 1828. p. 69.

h) Pulvis e Tartaro stibiato (Pulvis emeticus) Pharmac. milit. boruss. 1828. p. 71. Loco Tartari depurati in praxi privata plerumque imperatur Saccharum.

℞ Tart. stib. gr. iij
Aq. commun. ℥ij

M. d. quater per horam cochlear unum hauriatur, donec subsequatur effectus. *i*)

Infantibus teneris ad vomitum ciendum porrigi solet Vinum Antimonii, propter mitiorem effectum, quater per horam cochlear minus, donec oriatur vomitus.

Usus externus Tartari stibiati.

§. 87.

Infrictiones pulveris Tartari stibiati.

Tartari stibiati pulverem, cum pauxillo Aquae infrictum, saepius utilem invenit Celeberr. Hutchinson. *k*) In Tertiana nempe, per quatuor jamjam protracta menses, quae Chinae, Solutioni arsenicali omnibusque fere aliis restiterat febrifugis, vespere ante paroxysmum Tartari stibiati gr. xv in volas manuum plantasque pedum infricanda praescripsit, et hanc methodum continuavit per dies tredecim, quibus elapsis cessit febris.

---

i) Liquor Tartari stibiati (Aqua emetica.) Ibidem p. 59. loco Aquae communis aptius sumatur Aqua destillata, propter Acidum sulphuricum, in illa plerumque contentum.

k) Mem. of the med. soc. of. London. Vol. V.; Cf. Benjamin Hutchinson über den äusserlichen Gebrauch des Brechweinsteins. Sammlung auserles. Abhandl. zum Gebrauch pr. Aerzte. Vol. XIX. St. 4. p. 523.

Idem **dolores** pertinacissimos **rheumaticos** brachii, omnibus aliis resistentes remediis, ℈j Tartari stibiati per decem dies secundum vasorum lymphaticorum decursum in brachium infricato, plane fugavit. *l*)

§. 88.

Usus causticus Tartari stibiati.

Tartaro stibiato, tamquam **Caustico**, recentiori tempore imprimis usus est Ill. **Rust**, *m*) qui eum cum pauxillo aquae in massam redigi et hanc illini jubet ulceri; praecipue ad margines callosos ulcerum delendos hanc laudat rationem. Alii in ulcera fungosa insperserunt Tartari stibiati substantiam. Solutio quoque hunc in finem potest adhiberi, secundum sensibilitatem ulceris grβ — ij — vj Tartari stibiati continens ad ℥j Aquae. Alii denique Unguentum Tartari stibiati ad eundem commendarunt usum, e ʒβ — j Tartari stibiati et ℥j Axungiae porci paratum. Insigni excellit virtute medicata contra ulcera callosa, ad indurationes marginum fundique propensa, porro contra pedis ulcera atonica inveterata, cum secretione parca specifica, contra ulcera scrophulosa etc. **Kraul** *n*) excrescentias penis solutione ℥i Tartari stibiati in ʒij aquae sese fugasse affirmat.

---

l) Ibidem.

m) Helkologie. 1811. T. 1.

n) **Hufelands** Journal. 1828. St. I. p. 211.

§. 89.

Unguentum Tartari stibiati.

Priusquam de morbis loquar, contra quos Unguentum Tartari stibiati solet adhiberi, nonnulla de medendi indicationibus et adhibendi ratione commemorabo.

Experientiss. G. v. d. Busch *o*) Unguentum Tartari stibiati, ait, omnibus indicari casibus, quibus fortior et continuus in cutis metamorphosin, nec non in vasorum lymphaticorum actionem, requiratur effectus, quibusque opus sit, ut valida cutis irritatione ab interioribus nobilioribusque organis aliquid derivetur; porro si cutis nimis torpida non satis reagat in vesicatoria, vel horum effectus celerius praetereant; denique, si majorem superficiem irritare moliaris, aut si spatium angustius fonticulorum non admittat applicationem.

§. 90.

Quod attinet ad rationem dictum adhibendi unguentum, methòdus ab Experientiss. Dürr *p*) proposita maxime mihi arridet. Unguenti scilicet portionem, aequantem nucis Avellanae magnitudinem, ter per diem infricat, locumque, donec appareant pustulae,

---

o) Heilsame Wirkungen der Brechweinsteinsalbe in 2 Fällen von Phthisis pituitosa. Hufelands Joural 1826. September p. 83.

p) Nutzen der Einreibung der Brechweinsteinsalbe besonders bei der eitrigen Lungenschwindsucht. Hufelands Journal. 1823. Mai p. 51.

tegit lana. Quae si effloruerint, quod vulgo die quinto, vel septimo solet evenire, emplastri saturnini aliquid, optime autem Empl. Saturn. Myns. Ph. W., linteo illitum, applicat, semelque singulis diebus repetit infrictiones. Quodsi sensiliores sint aegroti, duce Ill. Autenrieth Butyrum adhuc emplastro saturnino superillinit. Inducta facie suppuratoria aequabili, Unguentum Tartari stibiati plane omittit, pluries per diem linteo carpto abstergit pus, et emplastrum saturninum ternis renovat diebus. Ulcera ubi malignum recipiant characterem, Cel. Autenrieth Infusum saturatum Hb. Cicutae adhiberi jubet. Blumenau *q*) vero dolores acerbos hujus usu exortos observavit, quare Horst *r*) Unguentum Zinci vulgare in ejus locum substituit.

Si corpus sit sensibilius, aut si mitiorem Unguenti Tartari stibiati effectum exoptes, adhibetur Unguentum Tartari stibiati Ph. bor.; vigente cutis torpore et si promtius sit agendum, quantitatem Tartari stibiati dicto unguento majorem addere, vel Gummi Euphorbii acuere licet effectum.

---

q) Dissert. inaug. de Unguento Tartari stibiati adversus Tussim convulsivam. Regiom. 1808; Cf. Kelch über die Brechweinsteinsalbe im Keuchhusten. Hufelands Journal. 1809. April. p. 88.

r) Empfehlung einer neuen ganz vorzüglichen Heilart bei dem Keuchhusten, nebst Bemerkungen über die Antimonialsalbe. Hufelands Journal. 1813. Febr. p. 15.

§. 94.

Veniendum est ad Unguenti Tartari stibiati applicationem in singularibus morbis.

Contra Tussim convulsivam Ill. Autenrieth, *s*) unguenti inventor, hoc usus est remedio ad praecordiorum perfrictiones, prosperumque methodi hujus successum cum medicis communicavit. Quo permoti, Blumenau, *t*) Schneider, *u*) Nolde, *v*) Kelch, *w*) Horst, *x*) Liscoat, *y*) Marc *z*) et alii experimenta circa hoc medicamen instituerunt,

---

s) Versuche für die pr. Heilkunde. Tübingen 1807. Vol. I, Hft. 1. p. 127—134; Salzburg. med. chir. Zeitung. 1808. I. p. 41.

t) l. c.

u) Horns Archiv. Vol. IV. Heft. 2. p. 318.

v) Hufelands Journal. 1811. October.

w) Ueber die Brechweinsteinsalbe im Keuchhusten. Hufelands Journ. 1809. April. p. 83; Kelch Onguent avec le tartre stibiè contre la coqueluche. Sedillot. Rec. Period. de la Soc. de Medec. à Paris. T. XXXX. p. 358.

x) l. c.

y) Observation sur l'emploi de l'unguentum tartari stibiati adversus tussim convulsivam. Sedillot. Rec. Period. de la Soc. de Medec. à Paris. T. XXXXV. p. 350.

z) Observations sur une nouvelle methode de traiter la coqueluche avec les observations de Bourdet, Gilbert, Leveillé. Tartra Bulletin des Sciences Medicales. T. IV. p. 97. 103. 107. 113.

ejusque confirmarunt praestantiam. Contra alii ejus vituperarunt usum, quippe quod interdum spem fallat, tussisque paroxysmos, usu diminutos, postea frequentiores redire patiatur, ita quidem, ut dolore, ulceribus excitato, tussis valde exasperetur. Attamen plerumque desideriis modestioribus satisfacit. Viri Illustriss. Hufeland et Osann *a*) hoc medicamine Tussim convulsivam cito sese sanasse affirmant. Propter dolores tamen graviores usus diuturnior a parentibus raro conceditur, et illi non modo, sed suppuratio etiam profusior, saepe hujus remedii impediunt usum, imprimis apud infantes sensiliores et infirmos, quam ob causam Ill. Hufeland Belladonnam, Horst vero Flores Sulphuris Unguento Tartari stibiati praeferunt.

§. 92.

In affectionibus chronicis pectoris non minus remedium nostrum, propter derivationem, quam efficit, magnam praestat utilitatem. Proinde Cel. Vogt *b*) in catarrhis chronicis, praecipue me astaticis, si sputa difficulter solvantur, simulque pectoris ictus sentiantur, nec non in chronicis laryngis atque tracheae affectionibus, Unguentum Tartari stibiati, super totum infricatum pectus, saluberrimum exper-

---

a) Eilfter Jahresbericht des Königl. Policlin. Instituts d. Universität zu Berlin. Hufelands Journ. 1823. December.

b) l. c. Vol. II. 476.

tus est. Dürr c) et G. v. d. Busch d) contra Phthisin tuberculosam et pituitosam, nisi jam intraverit stadium colliquativum, infrictiones Unguenti tartari stibiati, ad derivationem efficiendam, tussimque aegris infestissimam mitigandam, optimo cum fructu adjunxerunt interno Phellandrii aquatici, Lichenis islandici, Lactis, aliorumque remediorum usui; suppuratio vero per tres minimum alenda est hebdomades.

§. 93.

Contra morbos hydropicos locales, imprimis chronicos, unguentum nostrum quam maxime laudatur, v. g. contra Hydrarthrum, chronica membranae synovialis ortum inflammatione; nec non contra Hydrocephalum, quamquam Cel. Goelis hoc in morbo ejus usum vituperat. In Hydrocephalo acuto Perill. Hufeland commendat Unguentum Tartari stibiati, multis ei assentientibus medicis, e. g. Sibergundi, e) qui felicissimo cum eventu hoc sese uti confirmat medicamento. Egomet ipse, patrem

---

c) Nutzen der Einreibung der Brechweinsteinsalbe, besonders bei der eitrigen Lungenschwindsucht. Hufelands Journ. 1823. Mai. p. 51.

d) Heilsame Wirkungen der Brechweinsteinsalbe in 2 Fällen von Phthisis pituitosa. Hufelands Journ. 1826. September. p. 83.

e) Ueber den Hydrocephalus internus acutus. Hufelands Journ. 1829. October. p. 67.

dilectissimum hujusmodi casum, de quo fere desperarit, ope medicaminis dicti sanasse, scio.

§. 94.

Contra affectiones rheumaticas atque arthriticas pertinaces, inveteratas, jam ad dyscrasiam evectas, vel metastases ad organa interna minitantes, Unguentum Tartari stibiati, a parte aegrotante quam proxime infricatum, utilissimum se exhibuit.

§. 95.

Contra varia oculorum nec non aurium mala saepe in usum vocatur remedium nostrum. Sic Niemann *f*) in Ophthalmia scrophulosa, aeque ac otorrhoea, hoc unguentum laudavit, et pone aures illinendum curavit, ut fieret derivatio a partibus aegrotis; Ill. Jüngken optimo jure adnumerat praestantissimis horum morborum remediis.

Praetermittere nolo methodum Leucomata sanandi, a Clar. Witzmann *g*) evulgatam, quippe qui Unguentum Tartari stibiati in oculum ipsum adhibeat. Praescribit enim:

℞. Tartari stibiati gr. iv
Butyri insuls.
Ol. Ricini aa ℥j
M. f. unguentum.

Dosin Tartari stibiati sensim auget usque ad ℈j.

---

f) Hufelands Journ. 1818. Febr. p. 112.

g) Russ. Sammlung für Naturwissenschaft und Heilkunde. T. I. 1816. p. 563; Cf. Vogt l. c. p. 477.

§. 96.

Ad pertinaciores Febres intermittentes curandas, recentiori tempore medici nonnulli usi sunt Unguento Tartari stibiati. Vir Experient. Pommer *h*) hujus methodi fuit auctor; quemadmodum Unguentum Tartari stibiati Tussis convulsivae perficiat curationem, proferendo scilicet validiorem irritationem contrariam, ita etiam in Febri salutare putat intermittente. Nam efficaciam ejus minime in excitanda febri, vel crisi artificiali, sed in pustularum numerosarum genesi, in suppuratione et cutis irritatione ponendam esse censet, quibus actio morbosa ad superficiem corporis revellatur, ibique nervorum cutaneorum exhauriatur irritatione, vice versa autem in abdomine, aut in gangliorum systemate collecta, modo breviore, modo longiore temporis spatio notis paroxysmorum Febris intermittentis phaenomenis sese manifestet. Quam ob causam ardoris sensus, pustulis excitatus, nec non purulentum earum secretum, necessaria conditio ad Febris intermittentis curationem, et quasi efficaciae remedii interpres, ei videtur; semper modicum idcirco inflammationis atque suppurationis gradum alendum esse censet, quem in finem infrictiones leviores, semel vel bis per diem institutae, sufficiant. Utplurimum febris inter unguenti applicationem primum anticipat, dein

---

h) Ueber die Heilung der Wechselfieber durch Einreibungen der Brechweinsteinsalbe in den Unterleib. Hufelands Journal. 1823. Januar. p. 29.

plane evanescit. Kessler *i*) infrictionibus Tartari stibiati, binis horis super totum abdomen administratis, donec pustulae efflorescerent, pertinacem Tertianam, nec non Quotidianam, fugavit.

§. 97.

Peculiarem methodum Peysson *k*) secutus, hanc unguenti imperat compositionem:

℞. Tart. stib. gr. xxiij

Solve in

Aq. destill. q. s.

Malax. c. Axung. porc. rec. ℥j

M. f. unguentum. div. in xxjv ptt. aeq.

Hujus unguenti inter apyrexiam quater vel quinquies portiunculam jubet infricari, simulque, ad vitandam pustularum efflorescentiam, locum infrictionis mutari, ita ut unguentum modo in abdomen, modo in dorsum, modo in brachia, modo in femora infricetur. Ceterum hujus unguenti ℥β sufficere putat, ad febrem exstinguendam.

§. 98.

In mentis morbis infrictiones Unguenti Tartari stibiati non sine fructu adhibentur, quas Ame-

---

i) Unguentum Tartari stibiati gegen das Wechselfieber. Hufelands Journal. 1824. Juni. p. 118.

k) Magazin für die ausländ. Litteratur der gesammten Heilkunde, herausgegeben von Gerson und Julius 1822. Vol. IV. p. 356.

lung *l*) summo jure ferri candentis applicationi, ab Oegg nimis laudatae, praefert, quia minus vehementem, deterrentem et dolorificum exerceant effectum. Salutarem earum usum in irritatione, exanthemate, suppuratione, nec non in aucta resorptione ponendum existimat. Clariss. Rahn *m*) in Amentia atque Apathia completa hujus unguenti usum plurimum laudat.

§. 99.

Contra varios porro nervorum morbos chronicos Unguentum Tartari stibiati in usum vocatur, modo in praecordia, modo in caput, modo in dorsum infricandum, prout morbi sedes variat. Sic Sthenocardiam Goodwin, Cardialgiam Goeden *n*), Spasmos pectoris Steinbuch *o*), ope hujus remedii sanarunt. Contra Dysphagiam spasticam parum utilitatis id praestitisse narrat Schaeffer *p*). In Epilepsia interdum tulit auxilium.

---

l) Einige Bemerkungen über die Einreibung der Brechweinsteinsalbe auf den Kopf in Geisteskrankheiten. Hufelands Journal. 1829. September. p. 86.

m) Bericht über die Besorgung der Kranken des Spitals zu Zürich im Jahr 1827. Hufelands Bibliothek d. pr. Heilkunde. 1830. September. p. 164.

n) Hufelands Journal. 1818. December. p. 52.

o) Nutzen der Brechweinsteinpoke bei Sensibilitäts-Excessen. Hufelands Journal. 1813. Maerz. p. 69.

p) Die Zeit- und Volkskrankheiten des Jahrs 1818 in und um Regensburg. Hufelands Journal. 1819. April. p. 12.

§. 100.

Inter remedia denique, contra morbos paralyticos adhiberi solita, Unguentum Tartari stibiati haud infimum tenet locum, praecipue, si Apoplexiam secuti, vel metastasibus orti sunt. Hemiplegiam ejus usu sanatam Horst *q*) observavit. Contra metastases febris nervosae ad pedes, cum articulorum immobilitate, Vir Experientiss. Thilenius *r*) interne Naphtham camphoratam cum Essentia Chenopodii Ambrosioidis, externe Unguentum Tartari stibiati, poplitibus ad numerosam pustularum efflorescentiam usque infricatum, prospero adhibuit cum successu.

§. 101.

Emplastrum Tartari stibiati.

Plurima, quae de Emplastro Tartari stibiati dicenda veniunt, jam supra, de Unguento Tartari stibiati disserens, commemoravi, cui emplastrum ratione effectus et usus plerumque respondet. Eo tantum ab Unguento distinguitur, quod validiore ac diuturniori excellit effectu, quapropter Celeberr. Niemann Emplastrum in plerisque casibus Unguento

---

q) Empfehlung einer neuen ganz vorzüglichen Heilart bei dem Keuchhusten, nebst Bemerkungen über die Antimonialsalbe. Hufelands Journal. 1813. Februar. p. 15.

r) Beschreibung epidemischer Nervenfieber. Hufelands Journal. 1812. December. p. 44.

praeferendum existimat. Ad parandum Emplastrum Niemann *s*) hancce optimam habet formulam:

℞. Empl. Res. Pini Pharm. bor. ℥j
Resin. Pini ℥β
Tereb. Venet. ʒiij
Tart. stib. ʒjβ

vel simpliciorem:

℞. Tart. stib. ʒj—ij
Empl. diachyl. compos. ℥β

In Odontalgia rheumatica, nec non in aliis Rheumatismis Opium addere expedit.

§. 102.

Enemata e Tartaro stibiato.

Egregiis insigniunt derivandi alvumque solvendi virtutibus, quam ob rem in variis morborum mentis speciebus, nec non in Encephalitide et Apoplexia sanguinea, summo administrantur cum fructu *t*). Per clysma gr. iij—viij Tartari stibiati pro dosi ingerantur.

§. 103.

Lotiones e solutione Tartari stibiati.

Solent adhiberi, si levior tantum cutis atque vasorum lymphaticorum irritatio producenda, functio-

---

s) Ueber die Anwendung des Brechweinsteins in Pflasterform. Hufelands Journal. 1818. Februar. p. 112.

t) Sundelin l. c. Vol. I. p. 278.

nesque eorum adjuvandae sunt. Jam supra autem annotavi, nihil valere ad emesin ciendam, cum effectus iste rarius tantum obtineatur, ergo remedium sit incertissimum.

Cum fructu autem administrantur in exanthematibus chronicis superficialibus, cum cute torpida, magis sicca, exiguam habente vegetationem, v. c. in comedonibus, lichenibus etc. Ad Scabiem sanandam laudantur a medico Londinensi; Experient. Harles *u*) vero, pluribus experimentis institutis, hanc methodum, propter cutis irritationem, quam infert, dolorificam maloque incrementa adjicientem, non invenit laudabilem. At glandularum indurationibus, et generatim tumoribus frigidis, Hydrarthro, Tumori albo, lotiones opitulantur, dummodo omnis resolutionis spes non evanuerit.

In rheumaticis atque arthriticis morbis chronicis, imprimis ad materiarum depositiones opportunis, non minus lotiones commendari merentur; hujusmodi affectionem, lotionibus ex ℈j Tartari stibiati et ℥jβ Spiritus Lavandulae feliciter sanatam, divulgavit Vir Experient. Holzhausen *v*).

§. 104.

Struve *w*) in Tussi convulsiva hanc commendat medicinam:

---

u) Zur Empfehlung eines Mittels gegen die Krätze etc. Hufelands Journal. 1816. Mai. p. 46.

v) Hufelands Journal. 1827. Januar. p. 131.

w) Ein Beitrag zu den Mitteln gegen Keuchhusten. Hufelands Journal. 1798. St. III. p. 204.

Tart. stib. ℈j
Solve in
Aq. destill. ℥ij
Adde
Tinct. Cantharid. ℥j

m. d. s. Binis horis praecordiorum regio perfricetur.

Vulgo ad lotiones atque epithemata circiter Tartari stibiati ʒij, Aq. Libr. j solvendae, praescribuntur. Cui solutioni Cl. Vogt *x*) Spiritum Mindereri addi suadet.

Multa quoque exstant oculorum mala inveterata, atonica, nominatim Lippitudo, Blepharophthalmia glandulosa, Pannus, Leucoma Corneae et alia, in quibus solutio granor. ij–vj Tartari stibiati in ʒvj–vij Aquae, in oculum instillata, egregium praebet auxilium.

§. 105.

Infusiones Tartari stibiati.

Köhler primus infusionem Tartari stibiati instituit cum prospero eventu, quem postea Knopf Ill. Graefe, Maerker, Kraufs multique alii secuti sunt medici. Plerumque ad emesin ciendam adhiberi solet, si summum vitae imminet periculum, e. g. bolo majori, vel alio corpore alieno oesophago inhaerente, metuendaque per compressionem vel constrictionem spasticam tracheae suffocatione. Secun-

---

x) l. c. Vol. II. p. 477.

dum Perill. Hufeland observationes etiam maniacis, propter validissimam in systema nervorum efficaciam, maximam praestat utilitatem, assentiente patre meo carissimo. Meplain in Tetano et Trismo, vermibus aut refrigeratione inducto, infusionis Tartari stibiati laudat praestantiam. Attamen maxime anceps est remedium, excusationem tantum habens in summo vitae periculo, et in iis tantummodo probandum casibus, quibus, frustra tentatis omnibus medicaminibus, ultimum in eo cernitur refugium.

Plerumque ad faciendam infusionem inciditur vena mediana, Tartarique stibiati gr. ij—jv injiciuntur.

VITA.

Ego, Carolus Henricus Fridericus Guilelmus Schueler, confessioni evangelicae addictus, anno MDCCCX Stargardiae, Pomeraniae civitate, patre optimo Carolo Friderico Guilelmo, matre carissima Philippina, de gente Eunike, natus sum. Primis litterarum rudimentis imbutus, gymnasium, quod in patria urbe sub auspiciis Ill. Falbe floret, adii et per novem annos frequentavi. Anno MDCCCXXVIII, testimonio maturitatis oblato, Berolinum petii, ibique ab Ill. Bethmann-Hollweg, t. t. Rectore Magnifico, numero civium academicorum Almae Universitatis Fridericae Guilelmae adscriptus, artem medicam coram Ill. Bartels,

t. t. Decano maxime Spectabili, professus sum.

Per totum studiorum tempus his interfui praelectionibus:

Ill. Mitscherlich de Chemia experimentali, de Zoochemia et Electrochemia; Ill. Ermann de Physice generali; Ill. Link de Cryptophytis, Botanice tam theoretica quam practica, Historia naturali, Toxicologia; Ill. Weifs de Mineralogia; Beat. Hegel de Logice et Metaphysice; Beat. Knape de Osteologia, Splanchnologia, Syndesmologia; Beat. Rudolphi de Encyclopaedia et Methodologia medica, Anatomia universa et organorum sensuum, de Physiologia; Ill. Schlemm de Angiologia et Neurologia, de Aponeurosibus; Ill. Schultz de Materia medica; Ill. Hermbstädt de Pharmacia; Ill. Rust de Chirurgia; Ill. F. Hufeland de Pathologia generali et Semiotice; Ill. Wagner de Therapia generali; Ill. Horn de Pathologia speciali, Pathologia et Therapia mor-

borum mentis, et de morbis syphiliticis; Ill. Hecker de Therapia speciali; Ill. Osann de Fontibus medicatis Germaniae et de Auxilio in repentinis vitae periculis ferendo; Ill. Kluge de Ossibus fractis et luxatis; Ill. Jüngken de Akiurgia; Ill. Bartels de Hippocratis Aphorismis; Beat. Rudolphi et Knape de instituendis cadaverum sectionibus disserentes audivi. Scholas clinicas frequentavi: Medicas Ill. Bartels; Chirurgicas Ill. Rust; Ophthalmiatricas Ill. Jüngken.

Superato tentamine philosophico atque medico, nec non examine rigoroso, spero fore, ut, conscripta defensaque dissertatione inaugurali, supremi in medicina et chirurgia honores mihi deferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Fungus medullaris et haematodes morbus idem.

II.

Remedium specificum dari nego.

III.

Hepar magis ad sanguificationem, quam ad di-estionem pertinet.

IV.

Speciei definitio nulla.

V.

Venaesectio in morbis inflammatoriis remedium borans.